THOMÆ BARTHOLINI

ANTIQVITATVM VETERIS PVERPERII SYNOPSIS

A Filio

CASPARO BARTHOLINO

Commentario illuſtrata.

CVM

THOMÆ BARTHOLINI

Ad Filium Epiſtola.

AMSTELODAMI,

Sumptibus HENRICI WETSTENII.

M DC LXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

AMPLISSIMO VIRO

DN. PETRO

LASSONIO

I. V. LICENTIATO

CONSILIARIO REGIO

ET

IN SVPREMO TRIBVNALI

ASSESSORI MERITISSIMO

CATONI SECVLI

MAGNIS MERITIS

MAIORI VIRTVTE

PVBLICIS NEGOTIIS PARI

PRIVATO NOMINE

OMNIBVS BENIGNO

IDEOQVE

OMNIBVS AMORI

BONIS EXEMPLO

VIRTVTI INCITAMENTO

MVSIS INCOLVMITATI

QVÆ PARENTEM ADORANT

THEMIDIS VINDICI

QVÆ MAIOREM NVLLVM

AGNOSCIT

LITERARVM PATRONO

Digitized by Google

QVIPPE QVÆ AD STVPOREM
MASCVLO PECTORE CONDITÆ
VENERANDÆ ANTIQVITATIS
CVIVS EGO INTERPRES
PROTECTORI
ET QVOD MAIVS AGNOSCO
IN ME
SINGVLARI AFFECTV
PROPENSO
FAVTORI MAGNO
DIS RIDENTIBVS NATO
IN SIGNVM
ANIMI DEVOTI ET GRATI
SPECIMEN HOC ANTIQVI-
TATVM
VETERIS PVERPERII
NEVTIQVAM
NATALIBVS EIVS INFERIVS
QVI
AD PVBLICVM BONVM NATVS
CVM FELICI PROSPERITATIS
VOTO
VTQVE EIVS
IVNONI FELIX SIT
L. M Q. D.
CASP. BARTHOLINVS TH. F.

CAS-

Digitized by Google

CASPARVS BARTHOLINVS

TH. F.

Antiquitatum Fautori S.

MEmoriam rerum quæ obſcuravit peneque delevit, illuſtravit pariter poſteriſque tranſmiſit ævi vetuſtas. Providentia Numinis id factum, ne Virtuti exempla, diſciplinæ præcepta deeſſent. Inde nobili contentione Viris ſago togaque illuſtribus enatum rei literariæ ac librariæ ſtudium, quorum animus ad magna natus nullis privatæ ſortis repagulis coërceri potuit, quin ſemper ad excelſæ indolis apicem contenderet. Et his ſeculis tantis conatibus præivere plures, ut jam reclinatas nutanteſque Muſarum columnas erexerint, immenſumque illud Politi Orbis cælum ſuis veluti humeris ſuſti-

nuerint. Inter alios Parens *meus Venerandus maſculè in hanc arenam deſcendit, ſed Fortunâ partim favente, partim novercâ. Aggreſſus enim rem hactenus ab aliis intactam,* Antiquitates Veterum Puerperii *adornaverat, ſed ſpem tanti Operis intercepit Vulcanus, qui Eugeriam inimicam ſuſcitavit, & Vitumnum compulit ut vitam huic fœtui denegaret, contra aliorum leges apud quos gravidis dilata ſupplicia donec peperiſſent. Quod enim temporis injuriæ fuerat anticipatione invida edaci flammæ commiſit ſortis iniquitas, totque annorum labores in cineres vertit, ut luctuoſum hoc Puerperium Thracum diceres. Iacturam illam ipſe Parens perſequitur* Diſſertatione ad Filios de Incendio Bibliothecæ, *ubi inter alios hujus libri interitum ita conqueritur:*

Au-

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Antiquitates Puerperii Variarum gentium, imprimis Romanorum.

Opus varia eruditione, niſi me fefellit opinio, refertum, cujus prima lineamenta duxi annis abhinc triginta & amplius, idque ſuaſu Cl. Walæi, *qui id argumentum deſiderari monuit.* Meurſius *quidem Græcæ literaturæ interpres celebris de Græcorum Puerperio folia tria olim publici juris fecit, ſed nimia brevitate lectorem curioſum ſatiare non poteſt. Ad plura digreſſus ego, quicquid Autorum veterum lectio aſſidua, quicquid Philologorum aliorum obſervationes, quicquid variarum gentium inſtituta, mores, ritus, antiquitates ſuppeditarunt, quicquid ad hoc argumentum illuſtrandum Ebræi Doctores, Græci ſapientes, Ro-*

„ *Romani diligentes conferre potue-*
„ *runt, cum delectu ſelegi & ſuo or-*
„ *dini reddidi, grata & diffuſa va-*
„ *rietate naſcendi tempora percur-*
„ *rens, quid nempe ante nativita-*
„ *tem, quid in puerperio, quid poſtea*
„ *actum fuerit. Ornarunt Librum ju-*
„ *ſtæ magnitudinis variæ veterum*
„ *Inſcriptiones, & figuræ paſſim Ro-*
„ *mæ, Neapoli, Gaëtæ, Florentiæ,*
„ *in Sicilia magno ſtudio à me colle-*
„ *ctæ ex ruderibus & Doctorum Vi-*
„ *rorum monumentis.* Synopſin *ſeu*
„ *ſumma Capita typis publicis olim*
„ *commiſi, cum reducem me Patria*
„ *Academia primum vidiſſet. Nec*
„ *deſtiti exinde ad ſuſceptum Opus*
„ *augendum conferre quicquid vel*
„ *propria lectio ſuggeſſit, vel eruditi*
„ *alii ad rem pertinere judicarunt,*
„ *ut ſi inducias exigui temporis fata*
„ *conceſſiſſent, fidem publico exſol-*
vere

Digitized by Google

vere quamprimum potuiſſem. Iam,, in ipſo puerperio fœtus, in partu,, laborans, extinctus, Lucinam ini-,, micam nunquam ſollicitabit, nec,, Proſam nec Poſtvertam. Abiit enim,, illuc, unde negant redire quen-,, quam. ,,

Condoluit Eruditus Orbis, & de Puerperio minus feliciter tranſacto conqueſti ſumus omnes. Ex *luminum accenſorum fato in Puerperio nomen auſpicatum eligêre veterum nonnulli, ſed hic lumen flammæ infauſto omine accenſum, quia ipſe Neptunus, Genethlius Deus, humore ſuo Nativitatem promovere non potuit, nec ulli cuſtodes Vulcanum, ceu Sylvanum Puerperæ apud Veteres inimicum, ab ingreſſu arcere. Non jam de Primogenitura litigabit partus, quia non ſuſceptus eſt, nec in terra ſtatutus, ſed flamma. Ego quamvis*

noverim eò expoſitum eſſe, ut nec ex Via Appia, nec ſolutis alimentis repeti poſſit, nunquam tamen animum ab iſtius Reipublicæ Antiquariæ commodi cogitatione avertere potui. Cum enim Parens *chariſſimus omnem hujus operis ſpem non ſine cauſſa abjecerit, ut ex annexa ejus ad me* Epiſtola *patet, ego hoc ad me pertinere credidi, cui viget ætas, animus valet; utinam fato meliore. Et jam inter aſſiduas meliorum Autorum, Medicorum veterum, Philologorum, Antiquariorum lectiones, non pauca congeſſi, quæ in ſuſcepto itinere Amicorum Doctiorum judiciis comprobare, ulteriori Veterum lectione confirmare, perluſtratione Antiquitatum ſedula illuſtrare, & paulatim ad perfectionem majorem deducere omnibus numeris abſolutum*

Digitized by Google

tum Opus conabor. Interim ſi quis

Quid agam fortaſſe requirat,

ut ſcirent Eruditi, quid à me ſperari velim, placuit ad Synopſin Parentis, *olim editam, pauca Commentarioli loco addere, quæ etiam citiùs in chartam conjeci quàm coquuntur aſparagi. Nec enim ſingula operoſiùs perſequi animus fuit, quia minori temporis diſpendio nodum ſolveret Gordium Alexander. Pauca hic habes, mi Lector, quæ ex Antiquario Operis mei penu, veluti ex fluctibus Icariis guttulas quaſdam, depromſi atque delibavi, Majora exhibiturus ubi itineris meta permiſerit, & quamprimum ex Italia, Antiquitatis promo condo, adduxero quæ ibi plurima ſunt, ſuſcepto Operi neceſſaria.*

Interea, Lector, vale, & no-

Digitized by Google

AD LECTOREM.

ſtro Puerperio Lucinam propitiorem precare.

Lugduni Batavorum Calend. Aprilis. CIↃIↃC LXXV.

THOMÆ

THOMÆ BARTHOLINI

DE

PVERPERIO VETERI

Ad Filium

CASP. BARTHOLINVM

EPISTOLA.

Digitized by Google

Digitized by Google

TH. BARTHOLINVS

Filio

CASP. BARTHOLINO

S.

INgenti gaudio perfundor, mi fili, quod Te videam paſſibus æquis mecum contendere, & ad famam præclaro auſu graſſari. Nihil mihi accidere gratius potuit, quam filium ſuſcepiſſe eodem ſpiritu animatum iiſdemque ſtudiis immerſum, quibus vel juventutem meam exercui, vel ſenectutem ornavi. Inprimis volupe mihi eſt, quod Philologiam felici copula Medicinæ jungas, ex quarum conjugio Puerperium auſpicatum ſuccedit, quo florentibus annis genio benigno doctos

fœtus

Digitized by Google

fœtus in lucem profers. Indignari tamen, inter tanta gaudia & ſurgentia optimi filii vota apud me ſoleo, quod plus Tibi fata indulſerint, quam mihi. Eripuit mihi Vulcanus argumentum benè de publico merendi, ut Tibi occaſionem præberet caligine profundæ vetuſtatis obductam materiam propalandi. Ex meo infortunio Tibi gloria relicta videtur. Quemadmodum Saturnus in cœlo Paganorum cedere coactus eſt Filio Iovi, ita quam opera non tralaticia laudem meritus eram, ſi ſupereſſent ejus lineamenta, Tu intercipis. Non ignoras quot annos inſumpſerim, quot tædia devoraverim in Opere diu meditato Doctiſque deſiderato *De Veterum Puerperio*, & quam prope abfuerim à complemento. Sed

& ipſe teſtis es oculatus, quam levi flamma momento conſumi potuerit, quicquid triginta annorum induſtria procuderat. Conquererer prolixius de iniquo Librorum fato, niſi Liberorum meorum, quorum ſurgenti fortunæ invidere non fas eſt, ſolatio erigerer, quia jacturam laborum meorum diligentia ſua reſarciunt, & ſtrenuè paterna veſtigia premunt communibus ſtudiis calentia, ut non malè actum videatur de rebus humanis tali poſteritate diſcedere. Ego quidem omnem exinde ſpem novi Puerperii depoſui, cui mors vicinior quam nativitas. Imò conſumptis per nequiſſimum Vulcanum chartis omnibus, quibus univerſam hanc de *Puerperio Veterum* materiam conſignaveram, tot veterum Autorum

torum lectionibus, tot eruditorum colloquiis, tot recentioris memoriæ ſcriptoribus, tot peregrinationum moleſtiis collectam, ſiquidem, quod doleo, bis ſcribere non conſueveram, puerperium meum æterno ſilentio obliterare exiſtimavi, quod oppreſſum fuerat antequam Lucina obſtetricante lucem poſſet aſpicere. Non ſum ex numero gladiatorum, qui ſaucii pugnas ejurant, at poſtea immemores antiquorum vulnerum, arma capiunt; ſed repudio Deas, quas, quia iniquo iratoque vultu me reſpexerunt, nollem coluiſſe. Tu tamen, mi Fili, me inſcio, &, ut noſti, ſæpe diſſuadente, argumentum apud me deperditum reſumere propriaque tua cura perficere tentaſti, ex quo vel ad publicum uti-

utilitas vel ad Te Autorem gloria redundat, ſed ad me acerba rerum amiſſarum recordatio. Non equidem invideo, miror magis quod pari mecum genio & amore publico incaleſcas ſuppleaſque ea quæ nec otium nec ætas ſinit me recoquere. Senſim enim non ſine ſenſu ætas ſeneſcit & diuturnitate laborum frangitur, ut quia amœniora perſequi ſtudia nequeam, tamen me focus oblectet ſæpe cogitantem quæ jam agere non poſſim. Præterea majorum rerum neceſſariæ rationes prohibent remetiri greſſus, ſerioribus aliis deſtinantes tempora mea quæ adhuc ſuperſunt. Certè, quanquam par eſſem novo labori repetendo, obreperet tamen faſtidium ex juſta indignatione. Negare mihi fata voluerunt iſtam felici-

licitatem quam mente conceperam si susceptorum operum perfectioni faviſſent. Cum ne gry quidem nec literulam mihi reliquerit helluo Vulcanus ex iis quæ de hoc argumento tot lucubrationibus conceperam, in sinu gaudere debeo, quod Tu, mi Fili, animum ad ea resumenda adjeceris. Laus integra & illibata Te manet, quod ex propriis observationibus, dum Autorum lectione & amœnioribus studiis subcesivas horas dispungis, Notis tuis meam *Synopsin*, olim Hafniæ publicis typis expressam, illustrare & Opus Magnum, quod orbi promittis erudito, concinnare proprio Marte susceperis. Quantum ex schedis tuis judico, diligentiam meam vicisti & longè superasti, ut si ex hac ætate re-

repueraſcerem & in cunis tecum vagirem, doctius lallare non poſſem. Minorem Te fama argumenti non oſtendis. Nec dubito quin debita gloria Te acuat, & ex præclaro Opere famam majorum aſſequaris. Nam amplum campum Tibi aperuiſti per quem decurras. Ex univerſa antiquitate ſubſidia quæruntur. Quanquam propria Medicorum meſſis ſit de Puerperio ex Medicis antiquioribus diſſerere; tamen ſollicitanda quoque ſunt omnium Antiquorum ſcripta, cujuſcunque denique ſint generis. Theologorum veterum ſcrinia inſpicienda de Circumciſione, de ritibus Baptiſmi &c. Conſulendi Iuriſconſulti de Expoſitione Infantum, Antiquarii omnes, Hiſtorici, Critici, Poëtæ excutiendi, ſed cum judicio,

&

& inter peregrinandum Inſcriptiones, Statuæ, marmora, nummi ſedulò perquirendi, contrahendæ Literatorum amicitiæ, plutei Bibliothecarum pervolutandi, conquirenda cætera quibus ſuſceptum argumentum illuſtretur. Neutiquam uno flatu eructatur duraturum ſeculis opus. Nec una nocte meditatus à Te Liber, velut fungus, naſcitur. Magno ſemper conſtitit naſci Deum. Rerum tractandarum copia vel Fabium delaſſaret. Præcedunt multa Puerperium, quod ex antiquorum monumentis deſcribere occepiſti, quæ expendenda, comitantur alia, quæ explicanda, ſequuntur plura, quæ exponenda, non tam diſerto calamo ſibique relicto, quam multiſcio & vetuſtati innixo. Ad omnia enim ſe dif-

diffundit materiæ divitis ſeries, quæ ut publico palato ſapiat, ex neceſſariis multis lectione cottidiana congeſtis, præcipua ſeligenda erunt, eaque apto ordini diſponi debent. In theatro applauſum meretur qui idonea, non qui multa, profert. In Synopſi mea brevibus lineis comprehenſa præivi. Cætera tuæ curæ relicta ſunt, ut Craſſum imiteris ab adoleſcente exorſum navem ædificare concupiviſſe, quod in littore ambulans ſcalmum reperiſſet. Sic ex parvis initiis ad faſtigium operis tanti, quod meditaris, Te proferes. In his orbi monſtrabis quanto non ſolum ingenio ac ſpiritu, ſed etiam quanta eruditione ab antiquis mutueris per quæ ipſos ex ſitu oblivionis protrahas. Gratulor publico de inuſitatis

Digitized by Google

tis conatibus & jacturâ Operis mei per Te ſine recularum mearum, quæ periere omnes, ſubſidio reſtitutâ. Iudicabo me redivivum, ſi quando elaboratum opus licuerit intueri;

Conſequar ex illo caſus oblivia noſtri:
Hanc meſſem ſatis eſt ſi tua reddet humus.

Gratias vero Deo Soſpitatori ago, quod ad liberos, qui nihil mali meruerunt, pœna mea non pervenerit, ſed Tibi penna relicta ſit, quæ mihi aduſta, quod cunas ita verſes ut ſenilem animum oſtendas, quod denique crepundia puerilia tractes, ſed matura ſtudia Patriæ dulciſſimæ ex condicto inferas. Perge injuriam fato mihi illatam, maſculè vir-

Digitized by Google

virtute tua ulciſci. Sic beatus, liberis chariſſimis ſuperſtitibus & ſalvis meliorum amicitiis, Libitinam effugiam, eritque ſenectutis ſolatium quod ſeverim bonæ frugis arbores alteri ſeculo profuturas. Vale.

Hafniæ Calend. Ianuar.
CIↃIↃC LXXV.

Digitized by Google

Magna Patriæ ſponderi

CASP. BARTHOLINO TH. F.

Cognato amantiſſimo

Antiquitates Puerperii Veteris illuſtranti.

TEmpus erat, vitæ quo fœtus carperet auras,
Et maturuerat grande Parentis onus,
Nixibus in mediis ſolitum Lucina favorem,
Quamque miniſtraret, ſæva negabat, opem.
Obſtetrix Vulcanus erat, ſed neſcius artis,
Quam Lucina, Deâ parturiente, colit,
Prenſavit fœtum digitis fuligine tinctis,
Fervidulaque uſſit membra tenella manu.
Ex iſtis ſurgit tibi pagina nata favillis,
Ex cinere, ut Phœnix, jam rediviva viget.
Ergo tuo Lucina Patri conſtanter iniqua,
Fœtus ut ille tuos vagiat ante lares.
Perge Parentis iter, ſcriptis qui perpluit Orbem,
Illius ad laudes invia nulla via eſt.
Ille tibi munivit iter, quo tramite curras.
Tu noſti laudes illius, ille tuas.
Tot tibi fauſta precor, Divûm cumulata favore,
Sæva puerperii quot mala nixus habet.

OLIGER IACOBEVS.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO AVTORIS
AD
Synopſin Antiquitatum Puerperii
Edit. Hafniæ M D C XLVI.

Amice Lector,

PAucis te volo, quia anguſtæ paginæ. Synopſin currenti calamo exhibeo operis majoris quod de Veterum Nativitate dudum confectum habeo, in qua titulos tantum leges & ſumma rerum tractandarum capita. Ipſum opus tibi exhibuiſſem, antiquitatibus variis refertum, ſtatuis ornatum & monumentis, Inſcriptionibus & nummis illuſtre, variiſque ad ſuſceptum argumentum pertinentibus auctorum veterum ſententiis; niſi ſpem utriuſque promiſſa amicorum in Italia hactenus ſuſpendiſſent. Româ enim ex area Cœli in Capitolio, & Cajetâ ex baptiſterio templi Cathedralis, exſpecto illuſtria plane Nativitatum Herculis Bacchique marmora duo, quæ olim mihi viſa, quam primum pro ſolita ſua facilitate tranſmiſerit Illuſtris Eques Caſſianus à Puteo,

Romanâ purpurâ digniſſimus, nec tuum amplius morabor, nec meum votum. Fruſtra enim in Puerperio veterum verſatur, qui his ſpretis aut neglectis ingenio potius ſuo quam oculorum auctoritati indulſerit. Quid autem exſpectare debeas ex Synopſi hac perſpicies, cujus ſingula capita exiguum Cl. Meurſii de puerperio Græcorum opuſculum exæquant, ne ſuperare dicam. Nam nec Cenſorinum, nec Alexandrum ab Alexandro, nec Rojam ad hanc lineam rectè vocaveris, quorum planè diverſum inſtitutum. Interim magnis Eruditi ſeculi Germaniæ, Daniæ, Angliæ, Galliæ, Italiæ, Siciliæ, Belgiique Philologis, amicis ſuſpiciendis hæc ſubmitto, ut, antequam lucem aſpexerit, candidè ſuppleant quæ deſunt, emendentque in quibus forſan invitis videbor lectorem fefelliſſe. Vale ſi ad publicum natus es commodum, ſin minus, diſce naſci ut valere poſſis.

TH.

Digitized by Google

TH. BARTHOLINI ANTIQVITATVM VETERIS PVERPERII SYNOPSIS:

à

CASPARO BARTHOLINO

Commentario & figuris illuſtrata.

MVTINI FASCINO inſident feminæ, ut concipiant (*a*). Lupercis quoque ſe offerunt, & ferula

(*a*) Sui juris rerum Natura eſt, nec ad leges humanas componitur: modò properat, modò vota percurrit, modò

Digitized by Google

lenta eſt & demoratur. Sic non ad propoſitum reſpondet, nec ad certum diem fœcunditas, monente *Seneca*, cujus hæc vox: *Exſpecta modo. pariet.* Cœterum moræ impatientes cum partus tempore quaſi ad arbitrium ſuum tranſigebant Pagani, cum Naturæ hoc jus ereptum ad Deos ſuos transferrent, ſed fictitios, quos ad partes vocabant. De Mutino, cujus faſcino, ut partum accelerarent, inſidebant fœminæ, teſtis eſt *Arnobius* Adverſ. Gent. Lib. IV, qui ubi fœdum & omninò contumelioſum ac impium dixit, inducere Deorum neſcio quas fictiones quæ rebus tantum turpibus & infami præficiuntur actioni, addit: *Etiamne Mutunus, cujus immanibus pudendis horrentique faſcino veſtras inequitare matronas & auſpicabile ducitis & optatis?* Alii *Tutunus* hic legunt. Idemque *Mutinus* dicitur in Priapeis, & apud *Feſtum*. Erat autem Numen πελαπώδης, quod utriuſque obſcœni appellationem habuiſſe, ideoque *Mutuni Tutuni* nomine à Romanis matronis

tronis cultum vult Polihyſtor *Salmaſius*. Quicquid ſit, Priapi erat ſignum, unde *Auguſtino* de Civit. Dei Lib. VII. cap. XXIV. nova nupta ſedere dicitur ſuper *Priapi Scapum*, quod *Plinio* membrum virile ſignificat.

ferula ceduntur caprina pelle corioque tecta (*b*). Geſtant præ-

(*b*) De quibus intelligendus eſt *Iuvenalis* Satyr. II.

Nec prodeſt agili palmas præbere Luperco.

Quod Vetus *Scholiaſtes* ita interpretatur: *Steriles mulieres Lupercis ſe offerebant & ferula verberabantur. Palmas* ita explicat, *quia vel catomidiabantur vel quia manibus vapulant cincti per civitatem*, id eſt, Luperci. Erat autem illud verbum *catomidiari* in Lupercalibus proprium, quia Græci κάτωμοι idem dicunt quod Latini partem quandam ſub

Digitized by Google

collo, ubi locus erat quo Matronæ verbera excipiebant, vel etiam manibus. Illud placet *Ovidio*, qui Lib. 11. Faſtor.

Ille caprum mactat. juſſæ ſua terga maritæ
Pellibus exſectis percutienda dabant.

Vnde etiam colligo quod hæc ſcutica, quæ *Prudentio* Lib. 11. in Symmach. *Lupercales ferulæ* dicuntur, pellibus obducta fuerint, ideoque hi Luperci *Crepi* dicuntur *Feſto*, *à crepitu pellicularum quem faciebant verberantes.* Illamque pellem quam caprinam dicit *Ovidius* eleganter *Feſtus Pompeius* alibi *Amiculum Iunonis* appellat.

prætera pixide Lyden (c) im-

(c) Hunc morem eleganter confirmantem habeo *Iuvenalem* Sat. 11. verſ. 137.

— *quod nil animis in corpora juris*
Natu-

Natura indulget. Steriles moriuntur, & illis
Turgida non prodeſt conditâ pyxide Lyde.

immenſo prolis deſiderio quo Reipublicæ augendæ cauſa, connubii retinendi (*d*) & ob

(*d*) Ita enim *Claudianus* in Eutrop.
Fœmina cum ſenuit retinet connubia partu,
Vxoriſque decus Matris reverentia penſat.
Nos Lucina fugit nec pignore nitimur ullo.

Quia cum liberi pignora ac vincula eſſent conjugii, multæ mulieres à maritis domo ejiciebantur quod eſſent ſteriles.

jus trium liberorum (*e*) ardent.

(*e*) Hoc jus à Græcis derivatum. Quippe Spartani multiplicandorum civium

vium cauſa legem tulerunt, ut qui tres liberos genuiſſet à cuſtodiæ munere immunis eſſet, ſi credimus *Æliano* Var. Hiſt. Lib. VI. cap. 6; Νόμος ἐστὶ τοῖς Σπαρτιάταις, τὸν πολλὰ τέκνα ποιησάμενον ἢ τρεῖς, ἀπολείπειν φρουρᾶς. i. e. *Lex eſt Spartanis, ut qui tres filios ſuppeditaret reipublicæ, is ab excubiis liber eſſet.* Ad Romanos vero ita tranſiit, ut præturas, quæſturas, omneſque magiſtratus & honores ad numerum liberorum Parentibus deſtribuerint. Frumentum pro liberorum numero accipiebant, teſte in Adriano *Spartiano.* Et in faſcibus ſumendis priores erant qui plures liberos habebant, ſecundum *Gellium* Lib. II. cap. 15. Ideoque variæ apud Romanos leges natæ, ut Iulia, Papia Poppæa, &c. de quibus nos fuſius in Opere noſtro majori, quæ hic perſequi anguſtæ paginæ prohibent. Inprimis fuêre Iura trium Liberorum, ad quæ traho *Iuvenalem* non invitum, qui Sat. IX. verſ. 87.

Iura Parentis habes, propter me ſcriberis hæres

Lega-

Legatum omne capis nec non & dulce caducum.
Commoda præterea jungentur mille caducis,
Si numerum, ſi treis implevero. — —

Quia, qui ſine ſobole erant, quod in teſtamento à teſtatore legatum erat non capiebant, nec ad caducarum hæreditatum admittebantur ſucceſſionem. Quapropter etiam ſteriles, quod fortunæ iniquitas denegaverat à bonitate Regum vel Imperatorum impetrare conabantur. Ita *Martialis* Lib. 11. Epigr. 91. ad Cæſarem Domitianum:

Quod fortuna negat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut eſſe Trium.

dent. Hinc ne infelices ſint, ſupplicationes & vota Veneri (*f*) apud Romanos, τε-

τοπα-

(*f*) Dicta illa Romanis Venus Genetrix,

netrix, cujus ædes Romæ. Huic autem teſtantur Inſcriptiones, in memoriam genitæ ſobolis ſtatuam poſitam. Sicut haurio ex ſaxo illo apud *Gruterum* pag. MXII. Romæ in foro Cæſaris reperto:

VENERI GENETRICI
D..... IVLI....
IN MEMORIAM. GEN...
IVLIÆ.....
STATVAM CVM.....
IVNIVS. VIRBIVS. ATTICVS
FLAM. DIVI. IVLI
D. S. P. D.

Nec contrarium nos edocent nummi apud Romanos cuſi VENERI GENETRICI, ſicut in illo Fauſtinæ apparet ubi puerum faſciis involutum tenere cernitur:

(g) De

τοπαλόρεσι (*g*) Athenienſibus, Pacique, magis pro filiis & gemellis quam filiabus concepta, quæ illud includunt, ut ſimi-

(*g*) De quibus *Author* Etymologici. φασὶ δὴ μὲν ὧ φησὶν, ὅτι μόνοι Ἀθηναῖοι ὑὸς καὶ ὗς χοντας. αὐτοῖς [τοῖς Τελεβοάταρσιν] ὑπὲρ γνήσιων παίδων. Ideoque hi ipſi ſunt qui θεοὶ γνήθλιοι dicuntur ab *Ariſtæneto*, Lib. 1. Ep. 19.

 (*h*) Huc

ſimiles fiant parentibus (*h*). Gravidæ jam hæc felicius ut

(*h*) Huc pertinet illud Didonis apud *Virgilium* Æn. IV.

— ſi quis mihi parvulus aulâ
Luderet Æneas qui te tantum ore referret.

Et hoc eſt, quô puerperas commendat *Horatius* Lib. IV. od. V.

Laudantur ſimili prole puerperæ.

Quippe hanc quaſi notam caſtitatis habebant, cum ſpurios facile generis ſimilitudo prodere poſſet. Et puerperarum pudicitiæ hæc prima fiducia fuit, ut ederent partum, quem maritus agnoſceret: cum timerent ne ſtupra furtivoſque concubitus parvuli vultus, aut creſcentis infantiæ ſimilitudo detegeret, ut loqui amat *Quintilianus* Declam. XVIII.

aſſequantur, braſſicam (*i*), ſicut

(*i*) De hoc Braſſicæ uſu apud gravidas

das Athenienſium, nos plura nuper commentati ſumus in Exercitationibus noſtris Miſcellaneis, quo Lectores remittimus, nihil hic addituri præter inſignem *Athenæi* locum, qui Deipnoſoph. Lib. IX: Ἀθήνησι δ' καὶ ταῖς τεθηλυίαις κράμβη παρεσκευάζετο, ὡς τι ἀνθφάρμακον εἰς τροφὴν. i. e. *Apud Athenienſes puerperis braſſica parabatur, velut idoneum medicamentum quoddam & apta nutriendo corpori.* In Amphidromiis autem hunc cibum uſitatum confirmat infra apud eundem *Ephippus* in Gerijone, qui ita, ſi Latina conſuetudine verba ejus legenda exhibueris:

Cum Amphidromia celebrentur quibus mos eſt
Aſſare fruſta caſei Cherſonitæ,
Oleoque braſſicam in faſciculos collectam incoquere.

ſicut in Amphidromiis, comedunt ad fœtus incrementum,

edules cochleas & malicorium, ſed non ſine damno, potu diptami addito (*k*). Abſtinent à ſale & aqua frigida. Lecticis ſubinde vehuntur, & equabus gravibus inequitant. Peſtilentia varia religione averruncata. Zona in templo Dianæ, ut commodius fieret geſtatio, ſoluta, quam primipara eidem deinde ſuſpendet cum

(*k*) Hoc voluit *Q. Serenus Sammonicus*,

At ubi jam certum ſpondet prægnatio fœtum,
Vt facili vigeat ſervata puerpera partu
Dictamnum bibitur cochleæ manduntur edules.

(*l*) Lati-

cum veſtimentis (*l*). Temporis fallendi gratia faſciolæ ligan-

(*l*) Latinis Zonam ſolvere dicitur quæ viro traditur. Quo reſpexit *Catullus*:

Quod zonam ſolvit diu ligatam.

Et Virginenſis Dea dicta eſt quæ invocabatur cum Virgini ſponſæ zona ſolveretur, teſte *Feſto*. At apud Græcos Puellam jam gravidam ſolito arctiorem Zonam in templo Dianæ Λυσιζώνε deponere ſolemne erat, & mulieres ipſas partu jam levatas Zonam Dianæ ſacraſſe author eſt in Argonauticis *Apollonius*. Cujus etiam *Scholiaſtes* ita, ſed hic per interpretem: *Solvunt Zonas primum parientes & conſecrant Dianæ. Vnde & Lyſizonæ Dianæ templum Athenis.* Sed veſtimenta Dianæ devota clarius cognoſcimus ex *Callimachi Scholiaſte* Hymno in Jovem: Τιτθοῤῥόων τ' βρεφῶν ἀνεπιθετων τὰ ἱμάτια τῇ Ἀρτέμιδι. *Natis infantibus conſecrant veſtimenta Dianæ.*

ligandis pueris parantur, & ipſæ in Lecto cubantes gravidæ celebrant Parilia. Interea pro naſcentibus vota fiunt, primo animi gratia Genitæ Manæ (*m*) ne domi quis bonus naſcatur, hoc eſt, imbellis, cui ideò canis immolatus,

(*m*) De hac *Plutarchus* in Quæſtion. Roman. Διὰ τὴ τῇ κεκλυμβύῃ Γενείτῃ μάνῃ κύνα θύουσι, καὶ κατδύχοντες μηδένα χρηστὸν ἀναβῆναι τῶν οἰκογενῶν. ἢ ὅτι δαίμων ἐστὶν ἡ Γενείτα τοῖς γιγνομένοις καὶ τοῖς λοχείαις τῶν φθαρτῶν. Et paulo poſt, ut Romanos Genetæ, ita & Græcos Hecatæ canem pro naſcentibus immolare dicit.

ſicut Hecatæ & Genetylli (*n*), non

(*n*) Γενετυλλὶς *Ariſtophanis Scholiaſti* dici-

dicitur ἡ δ ἡνίστως ἔφορος Ἀφροδίτη. Et ejus feſtum à mulieribus pro gravidarum partu celebratum, referente *Heſychio.*

non ob pariendi facilitatem, neque ob animalis ſinceritatem, ſed propter vigilantiæ omen, audaciæ & fœcunditatis. Deinde pro corpore, ne perversè partus aut præpoſterè exeant. Poſtverſæ litatur, & Proſæ Deabus à ſitu embryonis ita dictis (*o*), quibus

(*o*) *Gellius* Lib. XVI. cap. 16. refert in naſcendo fortè converti interdum in pedes partum, & ita brachiis diductis plerumque retineri, ut ægrè admodum mulieres enitantur: *Hujus periculi*, inquit,

quit, *deprecandi gratia aræ ſtatutæ ſunt Romæ duabus Carmentibus: quarum una* Poſtverta *nominata*, Proſa *altera*; *à recti perverſique partus & poteſtate & nomine.* Quam vero *Proſam Gellius* vocat, alii *Porrimam* & alii *Antevortam* dicunt. De *Poſtverta* elegantem noto apud *Gruterum* Inſcriptionem, pag. L. ubi ſub capite Mercurii & Mulieris ita legi dicit:

DEO. MERCVRIO. ET. POS
TVERTE. C. ANTIVS. TITI
FILIVS. EX. VOTO.

Et forte eundem antiquum lapidem inveni apud *Paulum Petavium*, qui in veterum Nummorum Gnoriſm. nobis talem exhibet:

Vbi

Vbi omnia exacte conveniunt, præterquam quod incuriâ ſculptorum pro POSTVERTE legamus, ROSMERTE, quod quivis facile ex ipſa *Gruteri* Inſcriptione emendare poterit.

bus & abortus procurantur, totidem dicatis aris & hoſtiis. canibus fortaſſis. Mox inſtanti partu

partu ad Eugeriam & Fluoniam confugitur (*p*). Ad

(*p*) De his videatur *Sext. Pomp. Festus* de Verb. signif. *Arnobius* Adv. Gent. Lib. III. *Fluvionia* legit, ubi *Meursius* tamen Critic. Arnob. cap. 6. ex *Festo* corrigit *Fluonia*.

illam, ut conceptum alvo facile egerant; ad hanc, ut sanguinis fluor tam in partu quam gestatione cohibeatur. A quibus Mena dicta (*q*), parum à Luci-

(*q*) Illa Dea fuit quæ fluoribus menstruis mulierum præesse credebatur ex *Augustino* de Civ. Dei lib. IV. cap. 11. *Ipse sit Diespiter qui partum perducat ad diem. Ipse sit Dea Mena, quam præfecerunt menstruis fœminarum.* Credita hæc Dea Luna est, quia Græcis μήνη Luna dicitur.

(*r*) De

Lucina differens. Fuit alia Vterina, Alcmena ad alendum, Vitumnus & Sentinus (*r*) ad vitam ſenſumque

(*r*) De tota hac Deorum fictitiorum familia, adiri poteſt, præter *Tertullianum*, *Auguſtinus* de Civit. Dei Lib. VII.

inſtituti. Athenienſibus Genetyllis acceſſit, cui feſto die canis immolatus. Tandem ut confidentius onus ventris gererent quædam gravidis conceſſa privilegia. Dilata ſupplicia donec peperiſſent (*ſ*), lege

(*ſ*) Prima legis hujus origo ab Ægyptiis, à quibus ad Græcos tranſiit, ut apud *Plutarchum* de Tard. Dei Vindicta: *Quid Ægyptiorum legem nonne meritò*

Digitized by Google

meritò vobis aliqui Græci descripsisse videntur: *Quæ statuit, ut prægnans si rei capitalis judicata sit, dum est enixa in custodia habeatur.* Sic & deinde Legibus Romanorum prægnantium mulierum pœna, ultimo supplicio damnatarum, differebatur quoad pepererint, cujus rei, præter *Quintilianum*, testis est *Clemens Alexandrinus* Lib. 11. Stromat. Imo apud hos Iuris sanctio non capitalem modò pœnam sumi, sed ne quæstionem quidem de prægnante haberi patitur, *L.* 3. *D. de pœn.* de quibus vide *Brissonium* Lib. 11. cap. 20.

lege Athenienſibus, Ægyptiis & Romanis ſancita, apud quos ne quidem quæſtio de gravidis habetur. Apud Perſas aureo donantur. Nondum natis id datum, ut pro ſuperſtite habeantur.

Immi-

Imminente puerperio clavis tradita à maritis, locusque puerperii idem eligebatur, quem olim habuerant Patres, purpura ſtratus antiqua imperii nota, ſed ad plures ob luxum deinde divulgata. Habitu ornantur proprio, quem ex figulina tabula eruimus(*t*). Caput faſciis cinctum, pallio abje-

(*t*) Tabulam illam figulinam, quæ aſſervabatur olim in Muſeo V. C. Martii Mileſii Sarazani exhibet nobis *Iac. Philip. Tomaſinus* de Donariis, ex quo nos eam hic proponimus:

Tabulam hanc Puerperarum votum exhibere & Dianæ Nemorenſi ſacram putat *Tomaſinus*, quippe quæ Nemi inventa eſt, ubi celebre olim Dianæ Templum.

Digitized by Google

plum. Continet autem hæc obſtetricem, quæ puerum in lucem jam editum gremio fovet & dextra mulierem puerperam ſuſtinet fere nudam, habitu dimiſſo. Ita enim de habitu puerperæ *Plautus* Truculent. Act. II. Sc. 5.

— voſmet jam videtis
Vt ornata incedo puerperio —

abjecto & ſoleis (*v*), quæ peracto reſumuntur opere. Aſſident, ſed nec poplite in alterum genu impoſito, nec digi-

(*v*) Expreſſè *Plautus* de Puerpera Trucul. Act. II. Sc. 5.

Face ut accumbam, adjutare ſic decet puerperam.
Soleas mihi date.

Autore *Piſtore* legendum eſt, *Soleas mihi deme.* Volebat enim accumbere ideo ſoleas ſibi demere jubet.

(*u*) Hu-

digitis pectinatim implexis (*u*). Proxima quæque apprehendentes dolore se sub-

(*u*) Hujus superstitionis originem tradit *Ovidius*, qui Metamorph. Lib. IX. Alcmenam inducit fabulam narrantem, se, cum parere non posset Lucinam Deam invocasse. Et ea quidem venit Iunonis jussu partum impeditura. Cum igitur in vetulæ figuram conversa ante januam Alcmenæ ita sederet, ut manus digitis inter se junctis genua teneret, forte Galanthis ancilla suspicata eam illo gestu dominæ, quo minus pareret, esse impedimento, falsò ei nunciavit Alcmenam partu solutam, quod cum Dea accepisset, surrexit, statimque Alcmena Herculem peperit. Ita autem *Ovidius*:

— dextroque à poplite lævum
Pressa genu, digitis inter se pectine junctis,
Sustinuit partus. —

(*x*) Quia

ſublevant, primaque cura eſt, ob partus facilitatem, palmam tetigiſſe (*x*). Hic ſi

(*x*) Quia, ut teſtis eſt *Apollonii Scholiaſtes*, mos erat parturientium, ut ſic dolores ſublevarent enixiùs, proxima quæque apprehendere, ideo Latonam legimus palmæ adniſam peperiſſe Dianam & Apollinem. *Nonnus* Dionyſiac. Lib. XXVII. huc reſpexit:

—— —— εἰσόκε Λητὼ
Οὐδαίοις πεδίλοισι γέρων μαιώσατο φοίνιξ.

id eſt, —— —— *donec Latonæ*
Vilibus foliis ſenex obſtetrix erat palma.

difficilior, Nixii Dii invocati, ab officio dicti (*y*), nec non ſi ge-

(*y*) Ab enitendo ſive pariendo Nixii Dii ita dicti fuêre. De iis ita *Feſtus*: *Nixi*

Nixi Dii appellantur tria ſigna in Capitolio ante ſellam Minervæ genibus nixa, velut præſidentes parientium nixibus. Non tamen ſententiam noſtram mutat, quod perperam hic in aliis codicibus legatur, *Noxii Dii.*

ſi gemellorum ſit ſuſpicio, idque operto capite, & lotis manibus. Alioquin lucis cauſam Lucinam familiaris viget advocandi mos, parturientium Deam (z), quæ Ilithya Græ-

(z) De Lucina parturientium tacere præſtat, quàm anguſtis lineis includere uberrimum dicendi campum, quem Operi majori ſecuturo reſervabo, quod rebus ex ultima Antiquitate infinitis illuſtre publico promitto, ſi inducias non ita longi temporis concedant fata. Interim quia hic illos imitari conſtitui qui

terrarum ſitus depingunt, in brevi quaſi tabella omnium rerum & rituum imaginem daturus ſum. De Lucina, quam ad partum vocabant, *Horatius* Epod. Lib. Od. 5.

Per Liberos te, ſi vocata partubus
Lucina veris affuit,
Per hoc inane purpuræ decus precor.

Arnobius Lib. III. Adverſ. Gentes: *Parturiunt, pariunt; ut difficiles puerperiorum tricas Iuno mulceat corripiatque Lucina.* Ideoque eleganter *in partu Lucinæ & Dianæ ejulatur* apud *Tertullianum* Lib de Anima. Dicta autem eſt apud Latinos *à juvando & luce Iuno Lucina, à quo parientes eam invocant*, ut *Varro* de Lingu. Latin. Lib. IV.

Græcis & ζύγια (*a*), Latinis Iuno

(*a*) Suidas Ilithyias plurimas protulit, Deas parturientibus aſſiſtentes. Et plerique Authorum Græcorum meminerunt. *Euripedes* in Ione:

Σε τὰν ὠδίνων λοχίαν
Εἰλείθυιάν τε ἐμὰν
Αθήναν ἱκέτευσα.

id est,

Te partuum obstetricem
Eilithyiam, meamque
Minervam obsecro.

Nonnus Dionysiac. Lib. 1:

Επτάκις εἰλείθυιαν ἐὴν καλέσασα λοχείην,
Septies Ilythyan suo vocans partui.

Iuno & Opigina. Huic vota (*b*) ipsæ nuncupant puerperæ

(*b*) Vota puerperarum, quæ Lucinæ nuncupabant, eleganter exprimit *Propertius* Lib. 11. El. 2:

Idem ego cum Cinaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram.
Iunoni votum facite impetrabile, dixi,
Illa parit. --- ---

Cujus memoria etiam in Inſcriptionibus, ut in illa *Gruteri*, pag. XLI.

DIANÆ
LVCINÆ
INVICTÆ
CN. POMPEIVS
CN. LIB. BAR
BVS. PROCVRAT
TIBICIN. ROM
VOTO. SVSCEPTO
L. M.

peræ, haſtas (*c*) conſecrant publi-

(*c*) Quod in nummis ejus honori dicatis apparet, ubi ſæpiſſimè ſtatua haſtæ ſubnixa videtur. Idque olim voluit *Plutarchus*, qui in Quæſtion. Romanis: Ἥρας ὃ ἱερὸν τὸ δόρυ νενόμισαι, καὶ τὰ ἀγάλματα ἐπὶ αὐτῆς δόρατι σημαίνεται τὰ πολεῖται, καὶ Κυρῖτις ἡ θεὸς ἐπωνόμασαι. i. e. *Iunoni autem ſacra habetur haſta, & pleræque ejus ſtatuæ haſta nituntur, ipſaque dicitur Dea Quiritis.* Vnde etiam Iuno Quiris paſſim

sim appellatur, ut in Inscriptione illa apud *Gruterum*, pag. CCCVIII.

publico vaccas nomine immolaturæ, & ne quid desit, nummis cusis monumenta erigunt. Cultus à Græcis deductus, quibus Diana Lucina erat (*d*) & Lucifera, quæ

(*d*) Confirmat hoc ipse *Cicero*, qui Libr. II. de Natur. Deorum: *Vt apud Græcos*, inquit, *Dianam eamque Luciferam sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo invocant.* Ideoque θεὰ Δίκθυνα λοχεία, *Orpheo* in Hymno. Nec dissentit similis Inscriptio apud *Gruterum* pag. MXI.

DIANAI. LOCH. S.P.C. D.S.
GINECEIA. P. F. RVFA. POMPONIA.

Et pro hoc Dianæ officio ſtare videtur *Nonnus* Dionyſiac. Lib. XLI.

Ἄρτεμιν Εἰλείθυιαν ἀρηγόνα θηλυτεράων.
Dianam Ilithyiam auxiliatricem fœminarum.

quæ eadem cum Luna, Levana לונה ex Hebræorum origine, cuncta ad partum tanquam noctis præſes & fœmineum ſidus conferens. Nam Nox genitalis Dea juvat liberorum ſtudium. Formula Invocationis ter magna voce fuit repetita, & extenſis brachiis. Huic aliàs in ara ſacrificatur pulte fabacia & larido, nec non gemellis agnis altrinſecus religatis

gatis, nummuſque perdi ſolitus.

Tranſactis laboribus decumbit ægra, dum obſtetrix, ſervi & adjutrices ancillæ partibus ſuis defungantur. Iamque puerpera fit ipſo puerperii momento (*e*) ſine ullo

(*e*) Ad *Iuvenalem* notat Vetus *Scholiaſtes* Puerperam dici puellam, quæ primitus parit. Ex eadem origine *Iſidorus* repetit Lib. XI. Orig. cap. 2: *Puerperæ*, inquit, *ſunt quæ annis puerilibus pariunt. Vnde & Horatius: Laudatur primo prole puerpera nato. Et dictæ puerperæ, vel quod primo partu gravantur, vel quod primum pueros pariant.* Sine ullo autem ſexus diſcrimine Puerperium vocari vult *Suetonius* in Caligula cap. VIII.

ullo ſexus diſcrimine, & edere dicitur, quemadmodum Pater ſuſcipere. Licet & latius vagetur dictionis licentia. Infans fit ab infando (*f*), alii ſpurii. Pecus &

(*f*) Ita enim ejus etymologiam deſignat *Varro* Lib. v. de LL: *Fatur is qui primum homo ſignificabilem ore emittit vocem. Ab eo antequam ita faciant pueri, dicuntur infantes.* Et *Nonius Marcellus* de Propriet. Serm. *Infans à non fando dictus eſt.*

Partus varia dicuntur ratione, quorum proprius Natalis dies (*g*) ortuſve, ſive die nati

(*g*) Natalem diem dici ſive die nati ſint ſive noctu, fusè ex *Varrone* explicat *Gellius* Noct. Attic. Lib. III. cap. 2.

(*h*) Id

nati ſint, ſive noctu. Habebant & adoptivi ſuam nativitatem (*h*), qua eligeban-

(*h*) Id noto ex *Ælio Spartiano*, qui in Adriano: *Quinto Iduum Auguſti Legatus Syriæ literas adoptionis accepit: quando natalem adoptionis celebrari juſſit.*

tur, quia naturam imitatur adoptio. Vrbes (*i*) quoque &

(*i*) Quocirca, cum Vrbibus etiam Natalis dies aſſignatus ſit, decretum eſt ut dies quo Romanum cœpiſſet imperium, Palilia vocaretur, quæ feſta iis fuere, unde anni Vrbis Romæ numerabantur. Quod expreſſit *Ovidius* Lib. IV. Faſtorum:

Per flammas ſaliiſſe pecus, ſaliiſſe colonos,
Quod fit natali nunc quoque Roma tuo.

& navigationes, ut & Reges (*k*) quando ad regnum

(*k*) Et quod Reges etiam Imperii natalem instituerint quando ad regnum admittebantur, testis *Herodotus* est, apud quem Lib. IX. Xerxes diem qua rex dictus fuit, tanquam Imperii natalem singulis annis insignem celebravit, quo cœnam etiam proceribus suis dabat, quæ Persicè *Tikta*, Græcè τέλειον dicta.

admittebantur. Quæ Nativitatum festa à Comneno sublata, quanquam inde æra dependeat imperii. Nascuntur præterea sacris initiati, pueri prætextam sumentes, & Consules (*l*). Nec dissimili

(*l*) De Consulis natali, qui ubi officio

cio illo fungi incœpit, naſci dicebatur, *Martialis* Lib. VIII. Epigr. 66.

Auguſto pia thura, victimaſque
Pro noſtro date Silio Camœnæ.
Bis ſenos jubet en redire Faſces
Nato Conſule. --- ---

mili uſu Martyrum paſſio vocatur Nativitas (*m*) qua ad

(*m*) Teſtem habeo *Auguſtinum* de Pœn. med. cap. 4: *Attende*, inquit, *animo tot Martyrum millia. Cur enim te Natalitia eorum conviviis turpibus celebrare delectat, & eorum vitam ſequi honeſtis moribus non delectat.* Et hæc eadem mens eſt *Prudentio*, cum Periſteph. Hymn. XI. de Paſſione Hippolyti Martyris:

Iam cum ſe renovat decurſis menſibus annus,
Natalemque diem Paſſio feſta refert.

ad gloriam naſcuntur. Vnde & Baptiſmus. Quin Natalibus redduntur plebeji, ad nobilitatem evecti, aut quovis gaudio elati. Ad ſuperos denique tranſlata voce, Natales feſta appellantur Deorum, & Chriſtianis Natalis Calicis.

Sed veræ nativitatis terminus Nonus eſt menſis ex ſententia Medicorum (*n*). De-

(*n*) De temporis varietate in Puerperiis pluribus videri poteſt *Gellius* Noct. Attic. Lib. III. cap. 16. ubi grata & diffuſa varietate naſcendi tempora diverſa percurrit. Nonus menſis veræ nativitatis terminus omnium conſenſu. A ſa-

A ſacris ordiar. *Machabæor.* Lib. II. cap. 7. Mater filium ſuum minimum ita alloquitur: *Fili mi, miſerere mei, qui te in utero novem menſibus portavi.* Non alia mens *Ovidio* Metam. Lib. X.

--- --- Iamque coactis
Cornibus in plenum novies lunaribus orbem,
Illa Paphon genuit. --- ---

Decimus ab illis laudatur (*o*), qui initium ſumunt deci-

(*o*) Decimum autem menſem illis laudari qui initium ſumunt decimi, affirmare videtur idem *Ovidius* Heroid. Epiſt. XI.

Iam novies erat orta ſoror pulcherrima Phœbi:
Denaque Luciferos Luna premebat equos:
Neſcia quæ faceret ſubitos mihi cauſa dolores,

Et rudis ad partus & nova miles eram.

decimi. Poſt hunc ſeminati vocantur. Nec ſeptimus infrequentior (*p*). Quocun-

(*p*) Pro ſeptimo menſe nativitatis ſtare arbitror eundem *Ovidium* Lib. IV. Triſt. El. 10:

Nec ſtirps prima fui; genito jam fratre creatus;
Qui tribus ante quater menſibus ortus erat.

que tandem menſe, Primogenituræ magna ſemper veneratio, à qua Fortuna Natalis Primigenia (*q*), & è ſolis

(*q*) Hujus Fortunæ Natalis Primigeniæ memoriam ſervant Marmora non

non pauca. *Gruterus* Inſcriptionum pag. LXXVI.

FORTVNÆ
IOVIS PVERI
PRIMIGENIÆ.

Et alia apud eundem pag. MVI.

IOVI. O. M. ET
FORTVNÆ. PRIMIGEN
V. S. A. L.
L. PRIMIGENIVS
CVM
FIL. TORQVATO
D. D.

ſolis femellis nunquam exponuntur primitivæ. Vnde de gemellorum primogenitura litigarunt Iuriſconſulti, maſculis ferè faventes, ut fortioribus, quod in Hiſpaniam veteres Gothi invexerunt primi.

Digitized by Google

mi. Proprium hoc Iudæis jus, quibus ex officio incumbebat & Deo tam perfectos fœtus primos, quam imperfectos ad ſacrum miniſterium offerre, & oblatos deinde jumentis ſicliſque quinque redimere. Illud deſiit quum ad Levitas ſacrorum jus devolveretur. Hoc in Ægyptiacæ ſervitutis memoriam ſervatum, quanquam aliquod in Chriſti nativitate ſit dubium. Omni autem ſine primogeniti diſcrimine Nato apud Paganos Genius ſociatur ſtatim, qui & vitæ auctor ſit & gignen-

nendi (*r*). Vnde Genius cujuſque colitur, votis, nummis, ſtatuis

(*r*) Variæ ſunt de Genio hoc Paganorum ſuperſtitiones. Quippe, ut *Auguſtinus* de Civit. Dei Lib. VII. ex *Varronis* ſententia ait, Deus erat qui præpoſitus eſſe & vim habere omnium rerum gignendarum credebatur. *Plutarcho* Genius eſt, qui unicuique mortalium ineſt. De eodem ita *Cenſorinus* de Die Natal. cap. III: *Genius Deus eſt cujus in tutela, ut quiſque natus eſt vivit: Hic ſive quod ut genamur curat: ſive quod una genitur nobiſcum: ſive etiam quod nos genitos ſuſcipiat ac tuetur. Certe à genendo Genius appellatur.* Latius adhuc ipſi dominium tribuit *Feſtus*, qui Genium dicit vim obtinere omnium rerum gerendarum. Eleganter *Horatius* Naturæ Deum humanæ deſcribit, qui natale temperat aſtrum, Lib. II. Epiſt. I.

Sit

Sit Genius natale comes qui temperat aſtrum,
Naturæ Deus humanæ.

Hunc Genium votis & Inſcriptionibus colebant, quæ paſſim occurrunt. *Gruterus* pag. CXI. Antiq. Inſcript.

GENIO
PAG. TIGOR
P. GRACCIVS
PATERNVS
T. P. I.
SCRIBONIA
LVCANA
V. FEC.

Et adhuc illuſtris alia apud eundem inſcriptio ex templo Herculis in Capitolio, ubi GENIO pro ſalute Imperatoris ædes reparatur. Ita autem apud *Gruterum* pag. CIX:

PRO. SALVTE. D. D. IMP. PII.
FEL. AVG
ET. MATRIS. AVG. N. ET.
KASTROR

ÆDEM.

Digitized by Google

ÆDEM. GENIO. COELI.
ADIANTI
MANIPVLI. EIVS
SVA. PECVNIA. REFECERVNT.

ſtatuis & Inſcriptionibus. Per eum ſoli fere Viri jurabant, ſicut per Iunonem plerumque feminæ (*ſ*), licet & ille utriuſque ſexus ſit Deus, & per

(*ſ*) Familiarem hanc Iurandi conſuetudinem deprehendo. De viris, qui per Genium jurabant, *Seneca* Epiſtol. XII: *Villicus jurat per Genium meum ſe omnia feciſſe.* Fœminæ verò per Iunonem ſuam ut plurimùm. Nam ita Quartilla apud *Petronium*: *Iunonem meam iratam habeam, ſi* &c. Non tamen inficias ire poſſim quin per hanc etiam Viri juraverint, cum id ſuadeat *Iuvenalis* Satyr. II.

Et

Et per Iunonem Domini jurante ministro.

Non minori religione per Genium Principis jurabant. Inde *Apuleius* Lib. IX. Metamorph. *Adjurantes Genium Principis contendebant.* Quod maximum apud veteres juramentum fuisse demonstrat *Tertullianus* Apol. cap. 28: *Citius denique*, inquit, *apud vos per omnes Deos quam per unicum Genium Cæsaris pejeratur.*

per hanc quoque Viri juraverint. Idem Genius obtinuit Principis. Contra Christiani per fortunam, non Cæsarum salutem, jurare recusarunt. Custos hic infantum Dæmon est Platonicis (*t*) & Patribus, isque

(*t*) Hi Genii pro Dæmonibus erant apud

apud alios. Ita *Lactantius* Lib. II. Divin. Instit. de Dæmonibus agens: *Geniorum sibi nomen assumunt, sic enim latino sermone Dæmones interpretantur.* Optime autem munus Genii, qui animæ præsidens voluntaria nati moderabatur, expressit *Ammianus Marcellinus* Lib. XXI: *Putabatur*, inquit, *Genius quidam tutelæ salutis appositus, eum reliquisse mundo citius digressurum. Ferunt enim Theologi in lucem editis hominibus cunctis, salva firmitate fatali, hujusmodi quædam velut actus rectura numina sociari, admodum tamen pauciſſimis visa, quos multiplices auxere virtutes.* Erat autem duplex, Bonus malusque, quod ad *Virgilium* ita notat *Servius*: *Cum nascimur duos Genios sortimur: unus est qui hortatur ad bona, alter qui depravat ad mala.* Quo censu etiam interpretandus est *Persius* Sat. IV.

--- *Diis iratis, Genioque siniſtro.*

isque quinti gradus, qui ad vitæ

vitæ terminum voluntaria nati moderatur, animæ præsidens, haud menti. Varia vi-sebatur forma. Ater subinde & pelle amictus. Duplex est. Bonus malusque. Non quod mala faciat, sed averruncet. Fortuita puerorum, Fortuna, Genitalis Dea regebat, sicut Necessaria fatum, quanquam pro Genio quoque sit Fortuna, quæ Primigenia, quia paris cum infante ævi censetur. Huic in Principis nativitate publicæ in Capitolio positæ sunt effigies. Plerumque Virginalis erat & Muliebris, quem-

Digitized by Google

quemadmodum Venus & Iuno. Lares eodem cum Genio inter Natales Deos habiti numero (*u*), qui Genius nihil niſi

(*u*) Lares etiam inter Deos Generis recenſet *Ovidius* Faſtor. Lib. II. Et iis commendatam eſſe pueritiam innuit *Claudianus* Lib. III. de Rapt. Proſerpinæ:

Inſidis natam Laribus commiſit alendam.

De his ipſis, qui infantem & alere & toto tempore ſervare dicebantur, *Tibullum* explico Lib. I. El. 2.

Sed patrii ſervate Lares aluiſtis & iidem,
Curſarem veſtros cum tener ante pedes.

Quocirca tot reperio Inſcriptiones paſſim, Laribus pro Domus ſalute & incolumitate dicatas. Inter alia Tabula eſt mar-

Digitized by Google

marmorea Eboræ in foro piſcario reperta, apud *Gruterum* pag. CVI:

LARIBVS
PRO. SALVTE. ET. INCOLV
MITATE. DOMVS
Q. SERTORII
COMPITALIB. LVDOS
ET. EPVLVM. VICINEIS
IVN. DONACE. DO
MESTICA. EIVS. ET
Q. SERTOR. HERMES
Q. SERTOR. CEPHALO
Q. SERTOR. ANTHEROS
LIBERTEI.

Quæ tamen tabula *Grutero* ſuſpecta eſt tanquam non illius ævi.

niſi mens hominis nati, ignea & Divina, ſine fœminæ orta congreſſu, mediæque inter Deos & animas naturæ. Neque

que planè corporeus eſt, licet ita viſus ſit. Falſi verò antiqui qui Genium Planetas crediderunt, quanquam ad Nativitatem & hi aliquid conferant (*x*). Nec majorem merentur

(*x*) De Planetis, an ad nativitatem aliquid conferant, varia varii. Ipſe *Ptolomæus* Lib. 3. cap. 2. omnem corporis conſtitutionem, quæ puero accidit, ex hora conceptus pendere neque mutari à natalitiis ſtellis vel aliis quibuſdam pronuntiat. Quod ſi alias Aſtrologorum ſcholas percurrere velis, invenies ſtatim ſingulis uteri gerendi menſibus ſingulos præeſſe planetas: ideo octavo menſe vivere natos haud poſſe, quoniam qui primo, idem & octavo menſi Saturnus dominetur Planeta frigidus & ſiccus, hoc eſt, qualitatibus vitæ contrarius: Menſi autem nono Iupiter Fortuna ma-

jor, calidus & humidus; ut ſeptimo menſi Luna frigida & humida. De his pluribus diſſerentem adi *Bongum* de Myſteriis Numerorum, pag. 518. & 519. Per plura me non diffundam, nec hiſce tam anguſtis paginis, antequam Majora publicum videbit, aliud addam præter locum elegantem *Iuvenalis*, qui Fortunam omnem à tempore nativitatis pendere ſtatuit, Sat. VII. verſ. 149.

--- --- *diſtat enim quæ*
Sidera te excipiunt modo primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.
Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul,
Si volet hæc eadem fies de Conſule Rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud, quam
Sidus, & occulti miranda potentia fati.

(y) De

rentur laudem, qui ad elementa referunt, in inanimis alioquin vigentia. Fortuna ex Neceſſitate inducta volubilium, Lares ex triga Deorum naſcenti neceſſaria.

Fuerunt Dii Genitales alii majorum gentium ad Nativitatis Providentiam electi, diverſi à Genialibus, propriè Indigetes, vel Tutelares, quibuſcum de rebus Achivis conſilium iniit Iupiter. γενέθλιοι Græcis, quibus placidis (*y*) vel

(*y*) De hiſce Diis placidis intelligo locum *Ovidii* Lib. 1. ex Ponto Epiſt. VIII:

At tibi naſcenti, quod toto pectore lætor,
Nerunt fatales fortia fila Deæ.

Contra de iiſdem iratis accipiendus *Plautus* Ciſtell. Act. III. Sc. I.

Sceleſtus, natus Diis inimicis omnibus.

vel iratis prout quiſque natus, ita felix cenſebatur. Ad hos Genethliaci ſpectant (z), in

(z) Dicti hi, qui ex natali conſtellatione omina captabant, *Genethliaci Gellio* Lib. XIV. cap. I. & *Cenſorino* cap. XIV. *Planetarii*, *Auguſtino* Lib. IV. Confeſſ. *Mathematici*, *Iſidoro* Orig. Lib. VIII. cap. 9. *Horoſcopi*, *Perſio* Satyr. VI. Quam tamen Genethliacorum vanitatem irrident alii, inter quos *Sext. Empiricus* Adverſ. Mathem. cap. XXI. *Simplic.* in *Epictetum* cap. I.

Nominalibus præſertim advocati.

vocati. Acceſſit quoque Neptunus Genethlius Deus, humore ſuo Nativitatem promovens. Cujus ædes Natalitiæ Lacedæmone.

Puerperæ verò proprii Dii, Parcæ tres ſunt, Partula à pariendo. Poſt partum cuſtodes tres, Silvanum ab ingreſſu nocturno arcentes (*a*), quem

(*a*) Quoniam Sylvani & Fauni quos vulgo Incubos vocabant, improbi quondam fuerant mulieribus ac earum appetiverant & peregerant concubitum, Puerperis ſtatim poſt partum tres cuſtodes adhibebantur, ne Sylvanus per noctem ingrederetur & jacentem vexaret. De his Auguſtinus de Civit. Dei Lib. VI. cap. IX: *Mulieri fœtæ poſt par-*

tum tres cuſtodes commemorat [Varro] *adhiberi, ne Sylvanus per noctem ingrediatur & vexet: Eorumque cuſtodum ſignificandorum cauſa tres homines noctu circumire limina domus, & primò limen ſecuri ferire, poſteo pilo, tertio deverrere ſcopis: ut his datis culturæ ſignis, Deus Sylvanus prohibeatur introire.* Additque ab his tribus totidem nuncupatos Deos: *Intercidonam, Pilumnum & Deverram.*

quem omni invidia abigunt, etiam coronato aſini capite ad lectum puerperæ ſuſpenſo. Hic lectus idem qui nuptialis, feminis familiaris, in atrio ſeu aula ſeu horto (*b*), dum

(*b*) Lectum Genialem quaſi generalem à generandis liberis appellatum animadvertit *Servius* ad Lib. VI. Æn. Eundemque genialem lectum pro puerperis ſtra-

ſtratum eſſe ſuadet *Prudentius* Lib. 1. contra Symmachum:

Nondum maternam partu vacuaverat alvum,
Conceptamque viri Sobolem paritura gerebat
Prunuba; jam gravidæ fulchrum geniale paratur.

Sternebatur autem vel palam in hortis, ut ille apud *Iuvenalem* Sat. x. in hortis Luculianis:

— --- Tyriuſque palam Genialis in hortis
Sternitur. --- ---

Vel etiam in atrio domus, ante ipſam januam, qui idcirco *adverſus* dictus eſt. De quo accipiendus *Catullus:*

Si tamen adverſum mutarit janua lectum
Sederit aut noſtro cauta noverca toro.

dum in terram natus deponitur, ſternitur exemptilis,

(nonnullis Pilumno & Picumno (c) clauſis januis,

(c) De hoc *Servius: Varro*, inquit, *Pilumnum & Picumnum infantium Deos eſſe ait, eiſque pro puerpera lectum in atrio ſterni, dum exploraretur an utilis* [fortaſſe *vitalis*] *ſi qui natus eſt.*

obductoque thalamo. Staturam Herculis expreſſit, in certum futuræ magnitudinis omen, vel ut facilius puerperam cum infante caperet. Ditioribus auratus & argenteus, ſimplici pauperioribus ornatu, vel ex ebore vel teſtudine compactus. Accedunt lecto flores veſtesque ſeu purpureæ ſeu auratæ, cui loco puerperæ inſi-

insident mariti Tibareni & Cantabri (*d*), ut uxorum vice ægrotent.

(*d*) Tradit hoc de iis *Cœlius Rhodig.* Lib. XVIII. cap. 22. Quod ex *Diodoro Siculo* hausit, qui Biblioth. Hist. Lib. V: ὅταν γὰρ ἡ γυνὴ τέκῃ, ταύτης μὲν ἀδημία γίνεται διὰ τὴν λοχείαν ἐπιμέλεια. ὁ δ' ἀνὴρ αὐτῆς ἀνεπισὼν ὡς νοσῶν, λοχεύεται πολλὰς ἡμέρας, ὡς τοῦ σώματος αὐτῷ κακῶς διακειμένου. i. e. *Nam mulieris enixæ nulla in puerperio cura geritur: sed maritus ejus velut æger decumbens, & corpus male affectum habens, puerperæ vice per certos aliquot dies in lecto decumbit.*

Nato infante nunc ploratus, nunc lætitia apud diversos (*e*). Ille quidem ob tristia

(*e*) Apud *Georgium Palamum* Orat. I. elegantissime accusat Anima corpus,

pus, & ſe eo contineri & ſtringi in ipſo matris utero queritur, nec liberari dum in lucem prodit, ſed oriri hinc ejulatus natalitiis cantibus ex adverſo reſpondentes, & undique devincientes faſcias, & cunabulorum vincula, ſepulchralibus ligamentis cognata. Ἐντεῦθεν, inquit, καὶ κλαυθμυρισμοὶ τῶ γενεθλίων ἀσμάτων ἀντᾴδοντες καὶ σπαργάνων συγγενεῖς. Quem locum *Gibert. Cuperus* Obſervat. Lib. 11. cap. 9. optime explicat ex nummo Antonini Pii, cujus averſa in parte Fauſtinæ partus, ut vult *Seguinus*, videtur ſub ſpecie Matris Ideæ cum tympaniſtis & Tibicinibus, qualem nos hic damus:

ſtia miſeræ vitæ exordia. Vnde non naſci optimum judicabat gentium conſenſus. Thraces enim Natales hominum flebant (*f*), exſequias verò eorun-

Digitized by Google

(*f*) Hujus rei teſtis eſt *Herodotus* Lib. III, quo referente, Thraces infantem recens natum circumſedentes ploratu atque lachrymis proſequebantur, commemorantes quot & quantæ illi, hanc vitam ingreſſuro clades atque calamitates ſubeundæ eſſent. Contra autem hominem defunctum cantu & tripudiis efferebant, narrantes quantis malis & ærumnis ille eſſet liberatus. De iiſdem eleganter *Valer. Maximus* Lib. II. cap. I. *Thraciæ vero natio merito ſibi patientiæ laudes vindicaverit, quæ natales hominum flebiliter, exſequias cum hilaritate celebrans, ſine ullis doctorum præceptis, verum conditionis noſtræ habitum prævidit.* Quo reſpectu *Solinus* cap. x. *Luctuoſa* Thracum *Puerperia* vocat.

eorundem hilares proſequebantur, Cauſianorum ritu, à quibus uſus tibiarum fluxit in funeribus. Perſæ ante quartum,

tum, vel quintum, vel ſeptimum annum natos non aſpexerunt, finito nempe primo fatorum circulo. Quod & veteribus Gallis placuit. Rident tamen Matres poſt ſeptimum diem quando vitalem ſperant natum, qui & ipſe plorat antequam rideat, variam ob cauſam. Meliorum etiam morum gentes de feliciter tranſacto puerperio lætabantur. Gaudium & ſalutatio inter amicos & clientes, *Hodie Nate Salve* (*g*); ab Oriente ad Romanos

(*g*) De gratulatione illa in Puerperio *Gellius* Noct. Attic. Lib. XII. cap. II.

Eamus & Puerperium visum & Patri gratulatum. Formula autem illa, *Hodie nate salve* apud *Plautum* Pseudol. Act. 1. Sc. 3.

manos delato more, quam gratulationem prout quis ad Publicum bonum natus videbatur, vel ad damnum, variabant.

Hic amicorum congressus antequam fieret, utero egressum statim lavabant, tanquam à matre sanguinolentum (*h*). Can-

(*h*) Quoniam adhuc à Matre rubentes sanguinolenti sunt infantes, statim orti ad eluendum sanguinem lavabantur aqua, teste *Hieronymo* Lib. IV. ad Ezechielem: Ita Bromia ancilla apud *Plautum* loquitur Act. V. Sc. 1:

Post-

Postquam peperit pueros lavare jussit nos.

Quippe quod præter consuetudinem puerorum, qui nati rubere solent, candidissimus Clodius Albanus natus sit, inter rara refert *Capitolinus*.

Candidos quippe nasci inter rariora exempla. Lavabantur partim sale, molesto satis, partim aqua, eaque vel tepida, ut in funeribus, vel fervente, vel frigida, qua Germani etiam legitimum fœtum explorarunt (*i*), sicut ad solem

(*i*) De hac Germanorum consuetudine, qui aquæ Rheni arbitrio explorabant essetne partus legittimus an nothus, Epigramma extare monet *Turnebus*

Digitized by Google

nebus Adverſar. Lib. xxi. cap. 15. Et eo alludit *Claudianus*:

--- naſcentes explorat gurgite Rhenus.

lem dubios natos examinat Aquila. Pſylli partus ſerpentibus offerebant (*k*) dijudicandos.

(*k*) De Pſyllis, qui recens editos ſerpentibus offerebant ut originis fidem probarent, venenis judicantibus, *Solinus* cap. xxvii. Et hoc ipſum carminibus cecinit *Lucanus* Lib. ix.

--- --- fiducia tanta eſt
Sanguinis in terram parvus cum decidit infans,
Ne qua ſit externæ Veneris miſtura timentes,
Lætifica dubios explorant aſpide partus.

(*l*) Quod

candos. Æthiopes avibus, ut legitimos discernerent, imposuerunt. Græci aqua pariter ad sordes puerorum abluendas, usi. Additum subinde oleum in χύτλῳ (*l*), vel

(*l*) Quod sale, vel aqua aut tepida aut frigida, vel vino vel nive laverint varii tacco, de oleo χύτλῳ tantùm addam *Nonni* locum, Dionysiac. Lib. xxv.

Τιτθρφώ ϝ' οἱ ἦεν ἔριες τεθφὸς ἴσχεα δὶ αὐτῷ,
Μαζὸς ἔυν κἀὴ χύτλα, φόνοι κ' ἀπάργανα ϑώρηξ.

Nato vero illi erat contentio Nutrix:
gladii vero ipsi
Mamma erat & vasa oliaria, cades
& fascia thorax.

toto corpori, vel oculis naribusve, ad infantis robur & calo-

calorem non ſatis firmum augendum, conſervandum. Eo tamen ordine, ut lotionem aquæ ſequeretur oleum. Lacedæmonii vino lavarunt, ut morboſum corpus explorarent, alii Græcorum rore, Cimbri nive. Lavandi vel in clypeo (*m*) collocati antiquo cum

(*m*) In clypeo olim lavabantur. unde apud *Nonium* in Andromeda citatur hic verſus:

Nam ubi introducta eſt puerumque ut lavarent, collocant in clypeo.

Fuiſſe autem hunc antiquum cum funeribus ritum patet apud *Euripedem* in Troadibus, ubi cadaver Aſtyanactis pueri lotum defertur in clypeo.

(*n*) De

cum funeribus ritu, vel in mnaſiterna, vel labello, vel alio vaſe. Alvei quoque fit mentio, quod ſcaphiſterium appellatur. Crater Triſmegiſto. Chriſtianis baptiſterium, qui id debuerunt Romanis. Alvei in familia Cæſaris teſtudinei (*n*) erant in uſu, quo

(*n*) De alveis illis in familia Cæſaris teſtudineis eorumque uſu *Iul. Capitolinus* in Clod. Albino: *Fuit autem*, inquit, *aliud ſignum imperii. Nam quum Cæſariana familia hoc ſpeciale habuerit ut parvuli domus ejus in teſtudineis alveis laverentur, nato infantulo teſtudo ingens patri ejus* [Albini] *munere piſcatoris allata eſt: quod ille homo literatus omen accipiens, & teſtudinem libenter excepit,*

&

& eam curari jussit atque infantulo ad excaldationes pueriles dicari, nobilitandum etiam hinc sperans.

quo modo & lavabantur grandiores, quibus impositis hastam addebant cum hac acclamatione, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν (o). Lava-

(o) Fœminæ Laconicæ, quia nihil magis quam liberorum fortitudinem exoptabant, ominis captandi causa filium quem pepererant mox in clypeo collocabant; acclamantes ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν. Id quod affirmat *Thucididis Scholiastes* Lib. II. οὕτως, ὡς ἐπέκειτο τὸ παιδίον, ἐν ἀσπίδι ἐπέθεσαν αὐτὸ, καὶ δόρυ πλησίον. καὶ ἐπεβόων, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν. i. e. [Lacedæmonii] *confestim simul natus esset puer, in clypeo eum collocabant, & hastam juxta. tum acclamabant:* ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν.

(p) Quo-

Lavabant autem ſuis interdum manibus puerperæ ipſæ robuſtiores, ut plurimum obſtetrices vel ancillæ, quin ſervi & Eunuchi, qui idcircò muneribus donabantur. Fuit etiam quum ipſi Patres natos abluerent inſigni amoris argumento.

Lotus infans in terram ſtatutus (*p*) fuit antiquis temporibus

(*p*) Quoniam natus infans & lotus ab Obſtetrice in terram ſtatuebatur, ideo apud plurimos Authorum infantes nudos terra excipere dicitur. Eleganter illuc collinit *Plinius* Lib. VII. Nat. Hiſt. in Proœmio: Natura, ait, *hominem tantum nudum & in nuda humo, natali die abjicit ad vagitus ſtatim & ploratum.*

Digitized by Google

tum. Idemque ſignificare voluit *Ovidius*, cum ita in Ibim:

Qui ſimul impuro matris prolapſus ab alvo
Cyniphiam fœdo corpore preſſit humum.

Sanctior tamen, quam ut fœdo corpore, ut hic apud Poëtam, humum premeret, Auguſtus quippe quam primum natus attigiſſet terram conſecrata eſt apud *Suetonium* in Octavio cap. v.

poribus non ſine pompa. Mos è ſacris Hebræorum, qui tamen ante Iuſtinianum deſiit. Religiosè conſecrata terra quam primum attigiſſent Auguſti. Factumque id (*q*), ſive ut

(*q*) Cauſa hujus moris ſeu potius ſuperſtitionis triplex. Sive ut vocem terræ con-

Digitized by Google

contactu acciperet infans, de quo *Macrobius* Lib. 1. Saturn. cap. 12. ubi Terram asserit dictam *Opem quod ipsius auxilio vita constet: Fatuam, quod infantes partu editi, non prius vocem edant quam attigerint terram.* Sive ut auspicaretur rectus esse Diis Conjugalibus, ut *Varro* explicat Lib. 11. de Vit. P. R. apud *Nonium.* Sive denique ut Opem seu Matrem communem salutaret, quod persuadet *Macrobius* Lib. 1. cap. 10. *Huic* [Terræ] *Deæ Opi*, inquit, *sedentes vota concipiunt, terramque de industria tangunt, demonstrantes ipsam Matrem esse mortalibus appetendam.*

ut vocem terræ contactu acciperet, sive ut auspicaretur rectus esse Diis Conjugalibus, unde ab Obstetrice erectus in terram erigebatur, sive ut Opem seu Matrem communem

nem ſalutaret, cujus poſthac indigebat ope. Ita in terra conſtitutis Statina Dea (*r*)

(*r*) Hujus Deæ Statinæ meminit *Tertullianus* Lib. de Anima: *Dum prima etiam conſtitutio infantis ſuper terram Statinæ Deæ ſacrum eſt.*

puerilis præerat, vel, ut aliis viſum, Statanus. Nihil autem horum factum, ſi ante depoſitionem inter vivos eſſe deſiiſſet. Hinc quorum vitalia indicia, tellure ſuſcipiebantur à Parente (*ſ*), vel Procuratore

(*ſ*) Hanc infantum à Parentibus ſublationem clarè ex *Seneca* intelligo, qui Conſol. ad Marciam cap. 18. *Conſulti ſunt de nobis parentes noſtri, qui cum condi-*

Digitized by Google

conditionem vitæ noſſent, in hanc nos ſuſtulerunt. Terentius Andr. Act. II. Sc. VI.

Nam quod peperiſſet juſſit tolli.

tore ejus, quo inter legitimos numerarentur hæredes. Vbi differre conſtat naſci & ſuſcipi, educare & tollere, cujus varia eſt notio. Tollere enim pro generare poſitum, quia pro mortuis habiti qui non ſuſcipiebantur, ut ſervi, imò pro necare. Fiebat ea ſublatio ope Levanæ Deæ (*t*), ſed

(*t*) Fierique credebant eam ſublationem ope Levanæ Deæ, de qua *Auguſtinus* de Civit. Dei Lib. IV. cap. II; *Ipſe opem ferat naſcentibus excipiens eos*

ſinu terræ, & vocetur Opis. Ipſe in vagitu os aperiat & vocetur Deus Vagitanus. Ipſe levet de Terra & vocetur Dea Levana.

ſed à Patris dependebat voluntate, cui vitæ & mortis poteſtas in eos, quos pro ſuis agnoverat, licet eam amori Vxoris vel meretricum plerumque ſubmiſerit. Cuncta ritu hoc celebrata, vt ex terra ſublatum infantem ſuſciperet per ſervum Parens, vel ejus vice puerpera ipſa, vel ſoror illius, vel familiaris aliqua. Obſtetrices quoque. Vnde Terræ Matres dictæ. Partum autem tollere nolebant Patres,

Digitized by Google

tres, ſi ſexus eſſet ſequioris (*u*): quippe maſculus

(*u*) Diverſus tamen ſexus aliquam in ſublatione peperit differentiam. Quippe Patres partum ſexus ſequioris tollere nolebant, ſed potius necari præcipiebant. Ita *Ovidius* Metam. Lib. IX.

Edita forte tuo fuerit ſi fœmina partu;
[*Invitus mando: pietas, ignoſce*] *necetur.*

boni fuit ominis. Contraria Indis (*v*) Lacedæmoniisque

(*v*) De Indis *Curtius* Lib. IX. *Genitos liberos*, inquit, *non Parentum arbitrio tollunt aluntque, ſed eorum, quibus ſpectandi infantium habitum cura mandata eſt.*

lex, quæ, patribus arbitrio tollendi detracto, iis relin-

quit voluntatem ſuſcipiendi quibus ſpectandi infantes curam demandavit. Omnes Iudæi tollebant, Crotonenſes nullos. Contra quam tollendi libertatem natæ Leges Papiæ, & jus tot liberorum apud varias gentes.

Quos ſuſcipere nollet Pater ominis ergò & metus, more à Diis derivato, expoſiti fuerunt (*x*), quandoque ene-

(*x*) Hujus Expoſitionis illuſtria occurrunt exempla. De Cyro quem propter ſomnium, quod de partu filiæ interpretati ſunt harioli, ſuſcipere noluit Aſtyages, *Iuſtinus* Lib. 1. cap. 4. De Romulo & Remo *idem* Lib. XLIII. cap. 2, quos

quos Amulius præ metu exponi jussit. Denique de Moyse ad Nili ripam expositio sacræ paginæ testantur. De quo Pharaonis præcepto *Ezechiel* Tragicus in Exagoge:

Ἔπειτα κηρύσσει μὲν Ἑβραίων γένει
Τ' ἄρσενικὰ ῥίπτειν παῖδας εἰς βαθύῤῥοον.

id est,

Deinde jussit ut Hebræorum gens
Masculos jaceret in fluvium profundum.

enecati. Cui contrariam legem Romulus (*y*), multitudini au-

(*y*) Magnitudini tamen urbis ac frequentiæ Romulus consuluit apud *Dionysium Halicarnass.* Lib. 11. ubi nullam prolem necari, nec, præter monstrosam, exponi permisit. Propter easdem causas Thebani etiam expositionem lege sustulêre, capitis suppliciô constitutô si quis infantem exposuisset, referente *Æliano* Lib. 11. Var. Hist. cap. 7.

augendæ intentus, induxerat. Thebani etiam certis cautelis inhibuerunt. Majori jure Athenis Cynosargi spurii expositi (z), & Romæ omnis

(z) De hoc egregium suppeditat locum *Io. Tzetzæ* Histor. Chil. XIII. cap. 489.

Εἰς ὄστρακον γὰρ γράφοντες τὸ ὄνομα αὐτοῦ,
Ἔῤῥιπτον εἰς κυνόσαργες. τόπος δ' Ἀθήναις τῦτο,
Οὗ καὶ τοὺς νόθους ἔῤῥιπτον τοῖς χρόνοις τοῖς πρώτοις.

In testam enim scribentes nomen ipsius,
Projiciebant in Cynosarges. locus autem Athenis hic,
Quo & spurios projiciebant temporibus priscis.

generis nothi. Nam abortus promovere per legem Ictorum

rum vetitum & Medicorum (*a*), ut ad minuendam mul-

(*a*) Alii fœtum expositioni maturum fieri non permittebant, sed antequam in lucem legittimè ederetur, adhuc in utero materno vix conceptum abortivis expellere tentabant. Quod tamen omnes boni detestatione & communi odio prosequebantur. *Gellius* Lib. 12. cap. 1: *Quod cum sit publica contestatione communique odio dignum, in ipsis hominem primordiis, dum fingitur, dum animatur inter ipsas artificis naturæ manus interfectum iri.* Nec minus mulieres quæ hoc conabantur homicidii reæ tenebantur, quam si editum necassent. Ita enim *Augustinus* Serm. de temp. 111: *Mulier quæcunque fecerit per quod jam non possit concipere, quotiescunque parere poterat, tantorum homicidiorum se esse ream cognoscat.*

multitudinem Minois damnemus merito inſtitutum. Exponebantur inprimis monſtroſa (*b*), nonnunquam benè nati

(*b*) Quinam verò & quam ob cauſam exponebantur, diſertè nos edocet *Terentius* Hecyr. Act. IV. Sc. I.

--- --- *ſed demiror*
Quid ſit, quam ob rem tantopere hunc omnes nos celare volueris
Partum: præſertim cum & recte & ſuo pepererit tempore.
Adeone pertinaci animo, ut puerum præoptares perire.

Ex quibus verbis *Donatus* duas cauſas celandi vel exponendi partus elicit: *Duæ cauſæ ſunt*, inquit, *celandi partus. Si non tempore ſuo venerit quod indicium ſtupri eſt: & ſi non recte evenerit: hoc eſt, monſtrum aliquod natum fuerit. Hic autem & tempore ſuo & rectè natum prædicat.*

Digitized by Google

dicat. Quare ego & tertiam addo cauſam ex mente ipſius *Comici*, quod interdum etiam bene natos invidiæ cauſa expoſuerint, quo modo intelligenda arbitror ultima ejus verba:

Adeone pervicaci animo ut puerum
præoptares perire.

nati invidiæ cauſa, quod parricidium eſt in Digeſtis, interdum ut interficerentur, ſubinde ut ſervarentur quos perdere decretum fuerat. Aliquando partus exponebant, ob publicam calamitatem (*c*), ut

(*c*) De Romanis enim quod in publico luctu pueros expoſuerint, refert *Suetonius* in Caligula cap. 5: *Quo defunctus eſt die, lapidata ſunt templa, ſubverſæ Deum aræ, Lares familiares à quibuſ-*

dam in publicum abjecti, partus conjugum expositi.

ut ex sacris Orientalium liquet, à quibus ad Græcos, & ab his ad Romanos institutum hoc transiit. Romani tamen dubii videntur, sublato penitus per Valentinianum & Valentem more noxio. In exponendo servorum servarumque opera usus fuit Dominus, hoc quidem ritu, ut clam exportarentur per tenebras, &, quibus agnoscerentur grandævi, crepundia (*d*) addebantur seu

(*d*) Crepundia hæc sive γνωρίσματα *Terentio* Eunuch. Act. IV. Sc. 6. *Monumenta*

menta dicuntur. Et interpretatur *Donatus* : *Monumenta, quæ Græci dicunt γνωρίσματα καὶ σπάργανα.* Addebantur autem illa crepundia exponendis infantibus, ut postea grandævi à Parentibus noscitarentur. Quod ex *Plauto* colligo Cistellar. Act. III. Sc. I.

Nam hic crepundia insunt, quibuscum te illa olim ad me detulit:
Quæ mihi dedit, parentes te ut cognoscant facilius.

Et ad hunc sensum traho *Ciceronem* volentem, qui in Bruto: *Quoniam totum me non nævo aliquo aut crepundiis sed toto corpore videris velle cognoscere.*

seu γνωρίσματα, rarò nudis relictis. Erantque illa vel annuli (*e*) in signum libertatis, &

(*e*) Crepundia annulos fuisse ex *Terentio* liquet Heautont. Act. IV. Sc. I.

--- --- Hic profecto eſt annulus, quem ego ſuſpicor
Is, qui cum expoſita eſt gnata --- ---

& ne ab hæreditate viderentur excluſi; vel monilia matrum, quarum hic ornatus, & brachialia, promiſcui tunc inter plurimos uſus; nonnunquam faſciis ipſis ſeu ταινίαις (*f*), quibus utriuſque

(*f*) Faſciam vel ταινίαν fuiſſe, perſuadeor ab *Heliodoro* qui Æthiop. Lib. IV: ὥστε ὥρα σοι πάντως ἐπιδεικνῦναι μοι τὴν ταινίαν ἣν τῇ παιδὶ συνεκτεθεῖσαν ὑποδέχεσθαι μετὰ τῶν ἄλλων γνωρισμάτων ἔλεγες. id eſt, *Quamobrem tempus eſt omnino ut mihi faſciam oſtendas, quam cum filia expoſitam te cum cæteris indiciis recepiſſe dicebas.*

parentis inſculptum nomen, invo-

involuti, & fibulæ conjunctæ. Vas, in quo exportabantur, κύτρα dicitur seu olla, item ὀσφάριον, fiscella quoque (*g*). Ali-

(*g*) Instrumentum quo Moyses expositus, Navigioli formam expressisse videtur. In vulgatis Bibliis *Exod.* cap. 2. vers. 3. *Fiscella scirpea* nominatur: Et *Iosephus* atque *Alexandrinus Clemens scirpos* interpretantur, cum ex papyro vas constructum dicant, quia iis in locis abundat. In Rabbinico opusculo, quod de Vita Mosis edidit *Gaulminius*, hoc Vasculi contextum ex juncis תבה *thebah*, *arca* nominatur. Quicquid sit ex papyro fuit ut navigioli formam non defuisse videamus, de qua ita etiam apud *Esaiam* cap. XVIII. vers. 2. *Vulgatus* legit: *Qui mittit in mare legatis & in vasis papyri super aquas.* Et ut minus de Moysis fiscella dubitemus, hoc genus Nili

fluvio familiare meminit *Lucanus*:

--- ſic cum tenet omnia Nilus,
Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.

Quare huc pertinere Ectypon Gemmæ, quam Nicolaus Fabricius, Dominus du Peïeres, *Laurentio Pignorio* Menſam Iſiacam exponenti, exhibuit, perſuadet nobis *Petrus La Sena* in Cleombroto, quam nos hic damus:



Putat enim figurarum faciem hoc manifeſtiſſime indicare, quippe in navigiolo lectuli ſimilitudo & in icuncula humana, infans faſciis involutus à quovis facile agnoſcitur. *Laur. Pignorius* vult

vult esse Orum seu Harpocratem in Baride forsan jacentem, virgata veste indutum, pedibus indiscretis.

Aliquando ex papyro ac bitumine, seu arundine & leviſſimo ligno, aliquando vas fictile. Cantharus ad poculi Bacchi similitudinem. Nec enim Cantara anus est (*h*), sed

(*h*) In Cantharis etiam exponi soliti, unde intelligendus *Terentius* in Andria Act. IV. Sc. 5.

Dav. *Luem ne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?*
Mys. *O hominem audacem.* Dav. *verum. vidi Cantharam Subfarcinatam..*

Vbi ineptè admodum *Donatus*: *Cantharam*,

thara, inquit, *nomen eſt anus*. Sed cur adferri dicitur, & non potius pedibus ſuis incedere? Quare majorem veri ſpeciem ſententia habet *Euphragii* Grammatici qui *Cantharam ſubfarcinatam* interpretatur, *quaſi corbem ſupponendo puero repletam*.

ſed corbis potius, quæ Ciſtella alibi, qualis Moyſis erat viminea oblonga & clauſa. Aliqui in cório bubulo expoſuerunt. Locus puero exponendo dicatus, plerumque concurſu hominum frequentabatur. Nam in deſertis collocati pro occiſis erant. Ad compita apud Græcos, inter quos Athenienſes ſpurios ad Cynosargen extra portam relegabant,

Digitized by Google

bant, ubi & iidem tanquam in gymnaſio exercebantur adulti, & nomen mutabant. Degeneres Lycurgus ad Apothecas miſit (*i*). Romani

(*i*) Teſtem habeo *Plutarchum* qui in Lycurgo de Spartanis: εἰ ἢ ἀγλυνὲς, καὶ ἄμορφον, ἀπέπεμπον εἰς τὰς λεγομένας Ἀποθέτας, πρὸς Ταϋγετον, τ βαραθρώδη τόπον. *Male natum & deformem amandabant in voraginoſum locum ad Taygetum, quem vocabant Apothetas.*

& Ægyptii ad fluvios, illi quoque ad lacum Velabrenſem, ubi puerorum fiebat commutatio, & ad Columnam Lactariam (*k*), denique ad cloacas. Apud Chriſtianos in

in pietatis locis reconduntur. Ita autẽ expoſitos leges Romanorum publicæ tutantur. Nam ſoluti ſunt patria poteſtate, non abſolutè, quia ſolutis alimentis repeti poſſunt, præſertim à matribus. Alibi in nullo erant

(*k*) Quapropter dicta illa Columna Lactaria, quod ibi infantes lacte alendos deferebant, teſte *Feſto* de Verbor. Significatione. Fuitque in foro Olitorio, ita deſcribente *P. Victorio* in Deſcript. Vrbis, region. 11. Ad hanc Columnam Lactariam *Rævardus* in Lib. Conject. cap. 17. refert veroſimili ſane conjectura *Goltzii* Numiſma in Faſtis, fol. 208.

In



Digitized by Google

In eo enim Columna depicta est, ut ipse judicat, media inter duas capras cum infantulo, & altera parte effigies Iunonis Sospitæ Matris Romanorum, cui commendari adserit infantes lacte caprino ali solitos. Et hanc suam conjecturam adeo *Goltzio* placuisse refert, ut postea Indicem rerum in Fastis memorabilium conficiens, columnam illam *Lactariam* appellare non dubitaverit. Non tamen satisfacit hæc conjectura *Alphonsi Acaranzæ* Lib. de Partu cap. IV. Sect. 2.

erant censu (*l*), quia servi videntur. Nulli tamen licuit in suum dominium vindicare, quin omnes ex Canone liberi evadunt, qui ne inter irregulares

(*l*) De hoc Expositorum censu vide *Senecam* Lib. V. Controv. 33.

(*m*) Sic

lares quidem audet reponere. Agnoſcebantur certis monumentis, iiſque cum expoſitis iterum repertis, cœna adornata.

Alias apud antiquos videas puerperas, quæ tantum abeſt expoſuerint natos, ut, quibus carebant, alienos expoſitos ſibi ſuppoſuerint (*m*), vel ſub-

(*m*) Sic apud *Plautum* Trucul. Act. II. Sc. 5.

--- --- mater dicta quod ſum eò magis
Studeo vitæ, quæ auſa ſum tantum clam
dolum aggrediri,
Lucri cauſa avara probrum ſum executa, alienos dolores
Mihi ſuppoſivi.

(*n*) Ex

ſubdiderint. Inprimis meretrices, ut ſe puerperas amantium gratia ſimularent, & obſtetrices, falſum partum aliis ſupponentes. Illæ aqua & igne arcebantur: in his verò capitalis conſtituta pœna. Hoc pacto à ſterilibus hæredes quæſiti, quos etiam ex via Appia petere potuerunt. Omnibus autem ſuppoſitis ad legitimam matrem fas erat redire. Monſtra in exponendorum numero, quia cunabula exterrent, ter novem virginibus expiarunt Romani, cantantibus carmen & donum

donum Iunoni offerentibus, iteratiſque hoſtiis, ſi primis litatum non eſſet, ex præſcripto augurum & quindecim Virorum procurarunt. Non expoſita tamen, ſed occiſa, ferro partim, partim igne. Plerumque in aquam immerſa (*n*). Quæ omnia ad placan-

(*n*) Ex Aruſpicum diſciplina moribus Romanorum receptum erat Androgynos, cum hujus generis monſtra minime educanda eſſent religionis obtextu, in mare deportare & in profundum demergere, ut non uno in loco *Iul. Obſequens* Libell. de Prodigiis teſtatur, ad evertendum quod impendere malum ex ortu Reipublicæ verebantur. *Iacobus Durantius* expiationis cauſa Androgynos

nos æquoris undis ſuffocatos ait, quod veteres ad purganda & expianda mala omnia his aquis frequentiſſime uterentur. Quod tamen in ipſum retorquet *Petr. La Sena* in Cleombroto, cap. VIII. Quippe projectione & necatione Androgyni mare potius ipſum pollui verba hæc *Ciceronis* pro Roſcio evincunt: *Noluerunt corpus feris objicere, ne beſtiis quæ tantum ſcelus attigiſſent immanioribus uteremur: non ſic nudos in flumen dejicere, ne cum delati eſſent in mare ipſum polluerent.*

candos Deos perpetrata, qui imminentem iram monſtris monſtrabant. Mera intelligimus monſtra, non illa quæ in lege Papia Matri proderant, quæ nec ab Eccleſiaſtica dignitate, quia ſana ſunt, in Canonis veterum excluduntur.

Sed

Digitized by Google

Sed ad natum à Patre ſuſceptum redeamus, qui involucris tegendus. Illa duplicia infantibus. Alia quæ rubenti ſubſternuntur, quale linteamen album, quo, donec ablatus ſit, involvitur puer (*o*). Sacrum id infantibus ſignum, quia ad Deos ſacerdoteſque linum pertinet. Placuit idem commoditatis cauſa, ſicut lintei

(*o*) Prioris generis involucrum, nempe linteamen album, quo, donec ablutus erat, involvebatur puer, nobis ob oculos ponit *Iulius Capitolinus* in Clodio Albino: *Filius mihi natus eſt* VIII. *Cal. Decembr. ita Candidus ut linteamen quo exceptus eſt vinceret.*

tei thoraces Græculis, vel ut tenerrima corpora lini virtute ſolidentur. Etenim linum fuit naſcentium, quemadmodum Charyſtius ſeu amianthus mortuorum. Linum hoc infantum in candido nonnunquam purpureum apponebatur, nonnunquam pro dignitate pueritiæ ſubſternebatur. Alia habuit involucra jam lotus, & in cunis reponendus. Ea vel faſciæ ſeu panni (*p*) toto

(*p*) Inter involucra, quæ lotus & in cuna reponendus puer habebat faſciæ erant vel panni, eæque faſciæ modo albæ modo purpureæ pro varia puerorum fortuna. De his intelligo *Capitolinum* in

in Clodio Albino: *Acceſſit omen quod cum pueri ejus familiæ ruſſulis faſciolis illigarentur, quod forte lotæ atque udæ eſſent ruſſulæ faſciolæ, purpurea matris illigatus eſt faſcia.*

toto corpori circumducti, vel incunabula, quibus cunis alligatur. Quæ accurate omnino diſcernenda. Priorum in defunctis quoque uſus, ut natis. Faſciæ æquales commodum infantis ſpectant, ſæpius laneæ variis coloribus; ſed Magnates vel albas vel purpureas tantum ſibi ſeligerant. Dicuntur quoque crepundia, quibus expoſiti vel adulti ludebant. Ideò invecta, ut ſa-

lem contineant & per aliquot annos membra ſtringant (*q*)

(*q*) De earum autem, quæ æquales commodum infantis ſpectabant, uſu duplici *Hieronymus* in cap. XVI. Ezechielis, nempe ut & ſalem, quo tenella corpora conſpergebantur, continerent, & membra in rectum exitura ſtringerent. Ita autem Hieronymus: *Tenera infantium corpora pannis involvuntur duplicem ob cauſam: ut & ſale ſiccetur corpus, quod pannis ne defluat ſervatur & ſtringitur: & membra tenerrima ne facile depraventur.*

Barbaris. Romanis verò vix annuum ſpatium. Incunabulis infans cunis alligatus (*r*), ne motu

(*r*) De cunabulis his, quibus infans cunis alligabatur, omnino accipiendus *Plautus* in Amphitryone:

Nemo

Digitized by Google

Nemo eum colligare quivit incunabulis.

motu exturbaretur. Illuſtriorum ex purpura, ſecus quam faſciæ, quia hæ teguntur, illa patere debent. Interdum ſtrophium mammarum virginale matris, purpura tinctum. Tranſiere ſubinde ad mortuos, ſicut κνεφία mortuorum ad cunas. Annum ſuperarunt in iis infantes nunquam, quibus tripudia quoque inter ornamenta.

Cunæ rurſum verſum trahi aptæ inter obſcœnas res recenſentur, & cum σπαργάνοις

Digitized by Google

ſeu faſciolis confuſæ. Has Nutrices movent, vel ſervi Cunarii (ſ), qui poſtea for-

(ſ) De Cunario *Martialem* explico Lib. xi. Epigr. 40.

Cunarum fueras motor Charideme mearum.

Super eandem rem illuſtrem plane ex *Grutero* afferam Inſcriptionem, pag. CCCXI:

D. M.
TEIÆ. THREPTE. SO
ROR. PIISSIMÆ. CVNA
RIÆ. RVFINÆ. V̄. V̄
GLYPTVS. FRATER. QVI
ET. FELIX. VIVOS. VIVÆ
POSVIT.

ſan puerorum eorundem pædagogi, & ancillæ Cunariæ. Forma variæ. Modò clypeus, modo

modo cribrum & vannum (*t*), aliàs navigioli forma, eaque vel tecta ſpinis vel aperta; nonnunquam verſatilibus fulcris huc illuc moti infantes, vel angulis penſilibus ad ſomnum compoſiti & voluptatem, etiam grandiores ex Gymnaſticorum præcepto. Pue-

(*t*) Omitto alias cunarum differentias alibi fuſius explicandas. De Vanno ſeu ventilabro pro cunis apud *Callimachum* eſt, Hym. 1.

—— —— σὲ δ' ἤϊμισεν Ἀφρήτεια

Λίκνῳ ἐνὶ χρυσείῳ —— ——

Λίκνον enim ſive λικμὸς vannus, item cribrum Svidæ. Pro cunis etiam apud *Homerum* Hymno in Mercur.

Puerorum cunæ ad latera (*u*), Medicorum verò etiam ſurſum deorſumque duci potuerunt. Magnatibus ſegmentatæ, non tam vermiculata pictura, quam ſtragulis purpureis, quibus flores acceſſerant, & pelvis excrementis puerilibus recipiendis deſtinata. Præ-

(*u*) Ad puerilium hoc cunarum genus, quæ ad latera duci poterant, refero elegantiſſimam Tabulam antiquiſſimi Codicis manuſcripti Geneſeos, apud *Lambeccium* Comment. Biblioth. Cæſar. Lib. III. Ex quo Codice fragmentum cap. 39. Geneſeos delineat ita *Lambeccius*:

Vbi

Digitized by Google

Vbi præter varia ad Gynæcea veterum, rem veſtiariam & lanificium ſpectantia, obſervatu digniſſimæ Cunæ infantiles rurſum verſum trahi aptæ, in quibus jacentem puerum nutriali arte ſopire ac crepundiis vel aliis adhibitis crepitaculis delinire geſtit Cunaria, eodem plane modo quo hæc deſcribit *Arnobius* Libr.

IV. Adverſ. Gentes: *Suxit fluenta mammarum, vagitum edidit, repſit? atque ut fletum poneret ineptiſſimè tractum crepitaculis obtinuit auditis: & adſomnos inductus eſt in molliſſimis cunis jacens & vocibus delinitus infractis.*

Præerat his cunis & pueris ipſis intra cunas Cunina Dea (*x*), quæ lacte placatur. Iuxta eas verò congeſtæ aviculæ, quibuſcum luderent, item

(*x*) Hanc ex *Auguſtino* probo de Civit. Dei Lib. I. cap. 20. *Et Cunina* [colitur] *quæ infantes in cunis tuetur ac faſcinum ſummovet.* De eadem Inſcriptio apud *Gruterum* pag. XCVI.

CVNINÆ. FELICI
SACR
CLAVDIA. HELPIS
D. D.

(*y*) Qui

item ſpecula, adjunctique catelli, & dracunculi, nec non cymbala. Cultelli apud Septentrionales. Aliis nummi à Nutrice accepti, à quibus etiam mobilibus curribus circumacti ferebantur. Circa Nilum Ægyptiaci in cymbis ludebant (*y*), cymbalis & tibiis

(*y*) Qui antiquitus repreſentarunt Nili imaginem in ea luſus ſpecimina varia adumbrarunt. *Philoſtratus*: περὶ τὸν Νεῖλον, οἱ πήχεις ἀθύρεσι παιδία ξύμμετρα τῷ ὀνόματι. *Cubiti circa Nilum ludunt pueri, corporis quantitati cognomines.* Huc reſpexiſſe crediderim *Ovidium* Lib. 1. Triſt. El. 2.

Delicias videam Nile jocoſe tuas.

Hunc puerorum Ægyptiacorum circa

Nilum in cymbis luſum cum cymbalis & tibiis illuſtrat optime ſepulchrale illud marmor apud *Petrum La Sena* in Cleombroto cap. VI. ex quo nos idem hic exhibemus:

Putat Phœnicis viri vel puellæ monumentum fuiſſe, idque Palmarum arbores hic expreſſas ſignificare, quod his plantis Syria abundet & ea maxime pars quæ Phœnicia dicta eſt. Præter has autem arbores, inſculpta inibi naviculantium puerorum imago, calamorum inflatio, & crepitaculi ſuccuſſus expreſſi, atque è feneſtella exſertus alterius jocantis puellæ vultus.

tibiis adhibitis. Rectè enim à pueritia ludere jubentur à Platonicis. Ob quem conſuetum luſum habiti in deliciis.

Ante Cunas obſtetricum ſub-

ſubjacebant curæ, poſt ad Nutrices tranſierunt. Obſtetrix antiquis opſtetrix (z), ab ope, vel obſtando, in honore

(z) Obſtetrix ſeu Opſtetrix, ab eadem derivata etymologia promiſcuè dicta ſunt. Quorum præter authores alios ipſa etiam Marmora fidem faciunt. Ita apud *Gruterum* Inſcript. Antiq. pag. DCXXXVI.

SALLVSTIA. Q. L. IMERITA
OPSTETRIX
Q. SALLVSTIVS. Q. L.
ARTEMIDORVS
ARESCVSA. FECIT.

Et apud Eundem alibi obſtetrix dicitur in hac Inſcriptione:

ANTONIÆ. AVG. L.
THALVSÆ
OBSTETRIC

Erat autem in obſtetricibus & quædam artis Medicæ peritia, nam & medicinam exhibere dicuntur *l.* 1. §. *ſed & obſtetricem ff. de var. & extr. cogn.* & *Arianus* ad *Pauli* Lib. 2. Sent. tit. 24. *Quinque obſtetrices*, inquit, *id eſt medicæ.* Quare etiam Medicinam matri faciebant, quod monuit *Pollux* Lib. IV. cap. 26: Διδῶσι φαρμάκια &c. αἱ μᾶιαι ταῖς δυσκόσαις, ὁ ϖλέϖτον λέγω. *Dant obſtetrices pharmaca quædam his quæ difficilem partum expertæ ſunt.*

nore cum Medicis conveniunt, ſi probatæ. Principio an prægnans ſit æſtimabat, aliarum quoque mulierum concurrente judicio. In puerperii articulo matris vice exitum procurans (*a*), rectè ſuſcep-

(*a*) Primarium autem Obſtetricum offi-

officium erat in puerperii articulo exitum partus procurare. Quare Obſtetricis & Nutricis officium ita diſtinguit *Nonius Marcellus* de Propr. Serm. cap. v: *Educere eſt extra trahere, Educare, enutrire vel provehere. Varro de liberis educandis: Educit enim Obſtetrix educat Nutrix.* De obſtetrice nos pluribus alibi, interea de iis vide *Th. Bartholinum* Parentem de Inſolit. Part. Human. Viis.

ſceptum faſciis involvit. Hujus quoque ope detractus pileus naturalis, brutis communis, qui cauſidicjs vendebatur (*b*) antiqua ſuperſtitione.

(*b*) Hujus ſuperſtitionis authorem habeo *Ælium Lampridium* in Diadumeno: *Solent deinde pueri pileo inſigniri naturali, quod obſtetrices rapiunt & advoca-*

vocatis credulis vendunt, ſiquidem Cauſidici hoc juvari dicuntur. Sed plurima eaque rariora de hac ſuperſtitione in Opere meo congeſſi, ſuo ea cum reliquis commodiori ſervaturus tempori.

ne. Medicinam nato matrique faciebat, & ad loturam manus contulit. Nec ignotum hoc maribus munus. Si falſum partum ſuppoſuiſſet, lege tenebatur. Duravit verò obſtetricis neceſſitas ad quintum diem, quum muneribus donaretur, & lotis manibus Nutrici infantem committeret, quod Athenis aſſo factum pane. Nutrix (*c*) dicta à nutriendo,

(*c*) Nutrici deinde infans commiſſus.

ſus cujus officium erat lac præbere & cibum, interdum ulnis gerere. *Ovidius* Metamorph. Lib. IX.

Hunc totum infantem maternis demite ramis,
Et date nutrici: noſtraque ſub arbore ſæpe
Lac facito bibat. --- ---

Ariſtophanes in Equitib. Act. II. Sc. 2.

Καθώσπερ αἱ τίτθαι σε σιτίζεις κακῶς:
Μασώμενος γὰρ, πρὶν μὲν ὀλίγον ἐνθεὶς,
Αὐτὸς δ' ἐκεῖνα τελωλάσιον κατέσπακας.

Nutricum more tu populum paſcis male:
Quia ubi præmanderis, in os paullum ipſi ingeris,
Tu vero triplo plus quam alumnus devoras.

Eas neque Marmora tacent. Vnde Romæ in Hortis Carpenſibus, quæ Inſcriptio ex *Grutero* peti poteſt pag. DCLX:

D. M. S.

Digitized by Google

D. M. S.
EMILII. NISI
VIXIT. MENSIB
X I.
FECIT: VALERIA
HYGIA. NVTRIX.

triendo, ſicut Nutrix Herculeſ Paraſitorum, & Nutrix mamma, quod cibum præbeant. Magna in electione diſquiſitio. Ancillæ enim barbaræ fuere, & pro re nihili, vel meretrices inquilinæ natos in cella educantes (*d*). At

(*d*) Sic enim *Suetonius* in Octavio, cap. 6: *Nutrimentorum ejus oſtenditur adhuc locus in avito ſuburbano juxta Velitras permodicus & cellæ penuariæ inſtar.*

(*e*) Hoc

At frugaliorum matrum proprium (*e*) hoc officium.

(*e*) Hoc eſt quod præcepit Plutarchus de inſtituendis liberis: *Debent autem meo quidem conſilio partus ipſæ nutrire genetrices, hiſque præbere ubera. Majore enim ſtudio & cura nutrient.* Et ne plures afferam, exſtat apud *Gellium* Lib. XII. cap. I. illuſtris diſſertatio Favorini philoſophi, qua ſuaſit nobili fœminæ ut liberos non nutricum ſed proprio lacte aleret.

Omnium cum Rumina (*f*) curam gerere, faſciis involvere, niſi apud Lacedæmonios,

(*f*) De Rumina *Auguſtinus* de Civit. Dei Lib. IV. cap. 11: *In Diva Rumina mammam parvulo immulgeat, quia rumam dixerunt veteres mammam.*

(*g*) Ele-

Digitized by Google

nios, cunas movere, nænias lalloſque (*g*) cantare, ut vel à pueris redderentur, vel ad ſomnum componerent, cui cantilenæ Lallus Deus præerat,

(*g*) Eleganter nutricum nænias lalloſque deſcribit *Auſonius* Epiſt. 16. ad Probum:

Sic iſte qui natus tuus
Flos Floſculorum Romuli,
Nutricis inter lemmata
Lallique ſomniferos modos
Sueſcat peritis fabulis
Simul jocari & dicere.

Proprium hoc nutricum erat, tali arte pueros ad ſomnum allicere, idque cum facerent βαυκαλίζειν vel βαυκαλᾶν Græcis dicebantur. Vt *Heſychius*: βαυκαλᾶν, κλαυθμίζειν, πῆνεῖν, παιδία μετ' ᾠδῆς κοιμίζειν.

(*h*) Ex

erat, alioſque jocos addere, ſubinde ulnis gerere, unde bajuli; quanquam id onus quoque ſervi geruli (*h*) ſub

(*h*) Ex *Hieronymo* hoc percipio, qui ad Lætam: *Nutrix ipſa*, inquit, *non ſit temulenta non laſciva, non garrula, habeat modeſtam gerulam, nutricium gravem.*

Nutrice ſubierint. Pallium gerere maculoſum, mammamque præbere, ſi Lacedæmonios & Germanos excipias, quorum diverſum inſtitutum. Vnde Collactei ſub una Nutrice (*i*). Vino abſtine-

(*i*) Hoc erat eandem Nutricem ſimul

Digitized by Google

mul bibere ut loquitur *Apuleius* Lib. II. Metamorph. Dicti autem Collactanei, Collactei vel Collactii. Collactaneos dictos probo ex Inscriptione apud *Gruterum* pag. MCXIX. Romæ apud Lapicidas D. Petri:

D. M.
P. ÆLI. PASTO
RIS. VOLVSIA
L. F. SALVIANÆ
COLLACTA
NEO.

Collactea admittit *Iuvenalis* Sat. VI.

Tullia quod dicat notæ Collactea Mauræ.

De Collactio aliam dabo ex *Grutero* Inscriptionem pag. DCLXI.

D. M.
K. LOCÆRVS
PVBLICVS
HÆLENO
COLLACTIO
B. M.

(*k*) Su-

ſtinebant nigro, ſed album largius potare permiſſum. Pappare docuerunt & ad pubertatis uſque tempus natis aderant. Poſtea eas manumittere licebat, & in mammarum memoriam mortuas inſcriptione (*k*) proſequi. Infantes pappant mammiam amplexuri vel patrem vocaturi. Vnde Papa pro Patre apud Græcos & Romanos, ſeu Avo, ut apud Arabes, pro quo alii Atta, quod ad fratres etiam tranſiit,

(*k*) Super eam rem exempla videre ſi cui volupe adeat *Gruterum* Inſcript. Antiq. pag. DCLX.

(*l*) De

transiit, vel Abba, item Tatta, Mater nutrixve Mamma (*l*)

(*l*) De iis loquatur Inscriptio quæ Romæ in hortis ad aquam Virginis extat, sed apud *Gruterum* legitur Inscript. pag. DCLXII.

DIS. M.
ZETHO. CORINTHVS
TATA. EIVS. ET. NICE
MAMMA. F
V. A. I. D. XVI.

quod mammas porrigerent, & Pappi qui pappum ministrant, ut & Pædagogi (*m*). Lallabant eodem modo, unde Lalli

(*m*) *Isidori* Glossæ: *Papas, Pædagogus, qui sequitur studentes.* Et *Iuvenalis* Sat. VI.

--- *timidus prægustat pocula papas.*

(*n*) De

Lalli & Lalisionos, & ἄλαλους nondum loquentes, qui accepta voce Fabulino Deo (*n*)

(*n*) De Fabulino Deo *Varro* apud *Nonium* de Propr. Serm. cap. x 11: *Sic cum primum fari incipiebant, sacrificabant Divo Fabulino.*

sacrificant. Papa verò cibus puerorum, sicut Bua potus (*o*). Recens baptizatis Christianorum & pueris Paganis

(*o*) Quod Buas & papas cibum & potum parvulorum vocaverint, author mihi est *Nonius Marcellus* de Propriet. Serm. cap. II. *Buas potionem positam parvulorum. Var. Cato, vel de liberis educandis: Cum cibum ac potionem buas, & papas docent, & matrem mammam patrem tatam.*

ganis mel datum, cum lacte ex vaſculo χυτριδίῳ per ſpongiam. Quarto enim die Nutricis lac ſucceſſit. Mariſcæ & melimela (*p*), puls & libum delicatiorum, ſetania plebejorum ſeu cœpæ alliique viliſſimum genus, quibus pro potu acetum. Lacedæmonii citra ſatietatem, ut fami aſſueſcerent. Chriſtianis veteribus

(*p*) Non obſcurè hoc indicat *Martialis* Lib. VII. Epigr. 24.

Nec cibus ipſe juvat morſu fraudatus aceti
Nec grata eſt facies, cui gelaſinus abeſt.
Infanti melimela dato, fatuaſque mariſcas.

(*q*) Con-

ribus reliquiæ Euchariſtiæ præbebantur (*q*). Sed ante,

(*q*) Conſuetudo Euchariſtiam infantibus dandi, Cypriani temporibus obſervata fuit, & temporibus Caroli Magni, quamque *D. Auguſtinus* approbat Lib. 1. de peccatorum merit. cap. 20. Et apud Æthiopes teſtis eſt *Oſorius* Lib. IX. infantes eo die, quo ſalutaribus aquis initiati ſunt, Euchariſtiam in mica panis aſſumere.

finita nempe ablactatione, epulæ inſtructæ, & pro ciborum auſpicio Eduſæ, potionis Potinnæ ſacra fiebant (*r*), por-

(*r*) Eduſam & Potinam Deas præſides haberi puerorum vult *Varro* apud *Nonium Marcellum* de Propr. Serm. cap. II. *Cum pro cibo & potione initia-*

rent pueros, ſacrificabantur ab edulibus Eduſæ & à potione Potinæ nutrici. Apud Auguſtinum tamen Lib. IV. cap. II. de Civ. Dei, pro *Educa*, ex veteribus codicibus emendat *Vives*, *Edulica.*

porcellis lactentibus & pane furfuraceo, ubi ſimul Cubæ initiabantur, ſicut apud Chriſtianos farre. Exportati denique in agros ad Dianam, tumque nutriri cœperunt, quod diverſum fuit ab ali.

Inter hæc ſacra tertius affulſit dies Romanis, Græcis quintus, quo Coronæ natalitiæ foribus ſuſpenſæ (ſ), eædem

(ſ) Cum recens natus eſſet infans non

non ſatis erat Parentibus in ſinu gaudere, ſed gaudium ſuum ſuſpenſa præ foribus corona publicè teſtabantur. Ad quem morem *Iuvenalem* traho Sat. IX.

--- --- Foribus ſuſpende coronam
Iam Pater es. --- ---

Ideoque, notante *Meurſio* Attic. Lect. Lib. IV. cap. 10, Puerperæ domus coronata, Στεφανήφορος dicta eſt. Ad Coronas haſce natalitias alludentem obſervo *Nonnum* Dionyſiac. Lib. XXV.

Βάκχε τέμενος τῶνδε λεχώϊα, τῶνδε λυαῖε.

id eſt,

Bacchi coronas haſce puerperio condecentes, haſce Lyæi.

eædem fere quibus nuptialium feſto frontem crineſque haſtâ compoſitos cinxerat nova nupta, in honorem Laris familiaris qui foribus præ-

ſidet. Ita enim alias quoque in nuptiis poſtes coronati, vel ad arcendum faſcinum ex Ethruſca ſuperſtitione, quomodo & anterior Lecti pars ornatur; vel potius ad Veſtam, cui poſtes ſacri, placandam hæc tendunt, quæ in puerperio viſa ſibi erat læſa, & alioquin, ut Iunonis ſoror, ad puerperium aliquid contulerat; vel denique in amantium concubitus victoriam. Athenis maſculis oleaginea ſuſpenſa corona, lanea femellis (*t*). Romanis

(*t*) Hanc in ſexu vario circa coronas natalitias diverſitatem noto ex *Heſychio*,

sychio, ita enim ille: Ἔθος ἦν, ὁπόθε παιδίον ἄρρεν γένοιτο τοῖς Ἀθηναίοις, στέφανον ἐλαίας πρόθυραι ποιεῖν· ἐπὶ δὲ θηλειῶν ἔρια. *Moris erat apud Athenienses, quando puerulus masculus esset, coronam oleaginam statuere præ foribus, ob fœmellas vero, lanas.*

manis laurus ob generis perpetuitatem, & hedera apiumque ceterarumque herbarum fragrantium corollæ.

Quinto die emergente instituta λουτρὰ λεχωΐνα, ad manus earum abluendas, quæ obstetricatæ fuerant (*u*), aut aliquid

(*u*) *Parrhasius* Quæsit. per Epist. prolixè disputat, *An solitæ sint puerperæ à partu statim lavare?* Locum enim *Terentii* Andr. Act. III. Scen. 2.

Nunc primum fac ista ut lavet,

ita explicat, quasi *ista*, non quæ ex puerperio sordebant, sed ipsam puerperam significaret. Græci λοετρὰ λεχώϊνα dixere. Sic enim *Apollon. Rhodius* Argonaut. Lib. II.

—— ἠδὲ λοετρὰ λεχώϊα τοῖσι πένονται

Atque balneas puerperio condecentes illis parant.

aliquid attigissent ex puerperio, ipsaque puerpera ob curarum solutionem, & lassitudinem. Quo more postea solennibus Natalitiis servato, lavabant manus quum epulas instruerent, idque in polubro & gutto. Sequebantur eadem luce munera Natalitia puero oblata (*x*), ministris puerperii

(*x*) In puerperio munera natalitia puero offerebantur quod ex *Capitolino* literæ Commodi ad Albinum teſtantur: *Baſſianus & Geta te ſalutant. Iulia noſtra & te & ſororem ſalutat. Infantulo tuo Peſcennino Prineo munera digna ſuo loco tuoque mittamus.*

perii & puerperæ, cui ſolennia Calendis Martiis (*y*) quoque dona, umbellas, armillas

(*y*) De illis *Martialis* Lib. x. Epigram. 24.

Natales mihi Martiæ Kalendæ,
Lux formoſior omnibus Kalendis,
Qua mittunt mihi munus, & puellæ.

Quippe his feſtis dona à Viris mittebantur mulieribus, eaque varia, vel umbellæ vel armillæ, quæ me edocet *Iuvenalis* Sat. ix. qui etiam ob dictam cauſam fœmineas eas vocat Kalendas:

En cui tu viridem umbellam, cui ſuccina mittas
Grandia, natalis quoties redit aut madidum ver
Incipit & ſtrata poſitus longaque cathedra
Munera fœmineis tractas ſecreta Kalendis.

millas &c. donabant mariti, facili JCtorum venia. Cimelia alioquin. Munuſcula puerorum polypi fuere, ſepiæ, coronæ, gemmæ. Ἀνάθημα donarium vocatur ſacri Baptiſmatis. Ὀπτήϱια quæ primo viſo infante exhibentur. Aliis inſuper muneribus ſervi feriebantur (z).

Tota

(z) Non ſolùm puerperæ & pueri ipſi

ipsi munera accipiebant natalitia, sed etiam servi atque liberti, quæ munera & in ipso puerperio & quando puero nomen imponebatur distributa sunt. Id enim ex *Terentio* colligo, qui in Phorm. Act. 1. Sc. 1.

--- --- *Porro autem Geta*
Ferietur alio munere, ubi hera peperit.
Porro alio autem ubi erit puero natalis dies,
Ubi initiabunt --- ---

Tota reliqua hebdomade prima, Iunoni proposita mensa (*a*), super quam votivus

(*a*) De mensa hac Iunoni per totam hebdomadam proposita explico *Tertullianum*, qui Lib. de Anima: *Dum in partu*, inquit, *Lucinæ & Dianæ ejulatur, dum per totam hebdomadam Iunoni mensa proponitur.*

tivus infans Diis oblatus & commendatus votis, quæ ſuſcepta fuerant, vel ſolutis vel adauctis. Menſam adeſſe nullam pro malo omine interpretabantur, eratque ferè ara, in qua libatum. Deæ Iunoni lectus additus, & in ejuſdem ærarium conjecti nummi. Sequutæ pro natis ſupplicationes, per omnia templa circumductis. Templa erecta & aræ poſitæ ob puerperia (*b*), cuſi-

(*b*) *Tacitus* Annal. Lib. xv. ob natam Neroni filiam Templum Fœcunditati decretum memorat. Sed præter Templa etiam aræ ob Puerperia poſitæ, ſuper quam rem illuſtrem ex *Suetonio* repe-

repetam locum, qui in Caligula cap. VIII. de loco natali C. Cæſaris: *Vbi natus ſit incertum diverſitas tradentum facit. Cn. Lentulus Getulicus Tiburi genitum ſcribit: Plinius Secundus in Treveris, vico Ambiatino, ſupra Confluentes: addit etiam pro argumento aras ibi oſtendi inſcriptas:*

OB AGRIPPINÆ
PVERPERIVM.

cuſique nummi Fœcunditati, pro ſingulorum conditione ſpectacula varia, Circenſe, Atticum. Adhæc ſtatuæ cum Inſcriptionibus ſoluto voto exſtructæ. Fiebat ea commendatio per Patrem vel adoptatorem, vel aruſpicem, vel nutricem apud Lacedæ-

monios in Dianæ Corythalliæ æde. Epulo quod Κορίδα appellant, inſtructo, etiam apud Romanos is dies variis ludis celebratus.

Vltimo hebdomadis primæ die natis infantibus tabellæ fata inſcripta, vel virgæ Natalitiæ compactæ, quæ cum nato adoleſcerent (*c*). Aliis quer-

(*c*) Quippe moris erat quondam natis infantibus populeam virgam defigere in ſolo. Quod etiam memini *Meurſium* in exiguo ſuo de Puerperio Syntagmate annotaſſe, ex *Donato*, qui ita in vita *Virgilii*: *Virga populea more regionis in puerperiis eodem ſtatim loco depacta ita brevi coaluit, ut multo ante fatas populos adæquârit: quæ arbor Virgilii ex eo*

eo dicta, atque consecrata est, summa gravidarum religione, suscipientium ibi & solventium vota. Atque hunc morem veteres significasse judico cum *fata scribunda advocare* dicerent, ut apud *Tertull.* de Anima cap. xxxix. Quippe hæc quæ fata vocantur, in tabula solita erant perscribi, de qua re elegantem in Opere meo servo *Chrysostomi* locum, inter alia hujus commatis non vulgaria.

quercinæ, unde Marianæ, aliis populeæ, à quarum felicitate fata puerorum metiebantur, veteres & annosas restituere satagentes. Scritifini non nomina arboribus, sed ipsos nuper natos appenderunt. Alii veterum luminibus accensis in puerperio fortunam natorum futuram explorarunt.

Digitized by Google

rarunt. Huic ſucceſſit luſtricus dies, quo nomen adepturi, quemadmodum mortui, luſtrabantur (*d*). Maribus

(*d*) Luſtricum diem deſcribit Macrobius Saturn. Lib. 1. cap. 16: *Eſt autem luſtricus*, inquit, *dies quo infantes luſtrantur & nomen accipiunt.* Puellarum autem luſtricum diem fuiſſe octavum, puerorum Nonum teſtem habeo *Feſtum*, cujus rei cauſam repeto à *Cenſorino* ex *Plutarcho* in Quæſtionibus Romanis.

nonus, femellis Octavus, ultima hebdomadis aliis, qui etiam intra quintum diem ſubſtiterunt. Præerat Nundina Dea feſto (*e*), quod Suovetau-

(*e*) Illa Romanorum Dea quæ à feſto

sto hoc dicta occurrit apud *Macrobium* Saturn. Lib. 1. cap. 16, ubi esse dicit *Nundinam Deam Romanorum à nono die nascentium nuncupatam, qui lustricus dicitur.*

vetaurilibus peractum & circuitione. Circumferebantur pueri per obstetrices vel ministros circa focum, unde ἀμφιδρόμια (*f*), δρομιαμφια per metathesin. Focus ille, nil nisi aræ

(*f*) De hoc festo, ex multis unum afferam *Suidam* qui hac die, quæ Ἀμφιδρομία dicta, manus obstetricum purgatas & infantem circa focum circumlatum ait: Ἀμφιδρομία, ἣν ἄγουσιν ἐπὶ τοῖς βρέφεσιν. ἐν ᾗ ἀπηωρεῖτο τὰς χεῖρας αἱ σπωγγιάδι τὸ μιαίνεσθαι τὸ βρέφος ἀφιέναι τῷ ἑστίᾳ πέχοντες. id est, *Quintus à natis infantibus dies quem Græci solemniter*

ter celebrant. Hoc die manus purgant illæ quæ obſtetricis munere ſunt perfunctæ. Infantes autem circa focum ferunt currentes.

aræ Deorum hoſtijs calentes. Expiabantur deinde aquæ aſperſione per aniculas luſtrali (*g*) ex ſputo & pulvere, ex balneis plerunque ſumpto. Hinc eodem die vario ferculorum luxu convivium agitatum.

(*g*) Ad hunc ſenſum *Perſium* revoco Sat. II. verſ. 31.

Ecce avia & metuens divûm materterа, cunis
Exemit puerum: frontemque atque uda labella
Infami digito & luſtralibus ante ſalivis
Expiat. --- ---

(*h*) Iu-

tum. Sed quemadmodum breviter luſtrabatur infans, ita longiores moras puerpera in purificatione traxit. Nulla prægnans ante XL. diem, qui Athenis τεσσαρακοστὸς, in fanum prodiit (*h*), quia adeò im-

(*h*) Iuſtum puerperii tempus cenſebant quadraginta dies, niſi ſi morbi juberent producere, & ante illos exactos nulla prægnans in fanum prodiit. Qui hanc nobis explicet ſuperſtitionem, adducam *Cenſorinum* de Die Natali cap. XI: *In Græcia*, inquit, *dies habent quadrageſimos inſignes. namque prægnans ante diem quadrageſimum non prodit in fanum, & poſt partum quadraginta diebus pleræque fœtæ graviores ſunt, nec ſanguinem interdum continent: & parvuli ferme per hos dies morbidi ſine riſu nec ſine peri-*

periculo ſunt. ob quam cauſam, cum is dies præterierit, diem feſtum ſolent agitare, quod tempus appellant παραφθισον.

impura, ut ædes puerperarum Romanorum nullus ingreſſus ſit (*i*), vel egreſſi ſe purgarint tanquam ex funeſtorum contactu. Idem Æthiopes & Hebræi, hoc diſcri-

(*i*) Ædes puerperarum homines ſuperſtitioſi intrare nolebant, quod apud *Euripedem* invenio in Iphigeniâ Tauricâ, qui hic per Interpretem:

Si quis nocentes cæde conſcelerat manus,
Corpuſve tangat mortuum aut puerperam,
Altaribus ceu impium prohibet ſuis.

(*k*) Ita

crimine, ut pariens feminam octoginta dies, masculum 40. explerent. Idque quia tot diebus censebantur impuræ, quanquam septem tantum diebus summa fuerit impuritas, reliquis à sacro contactu arcerentur. Ratio diversitatis non in gutta seminis est quærenda, contra Rabbinos, nec in distincta formatione, nec Adami & Evæ diverso in Paradisum ingressu; sed quia ob corporis imbecillitatem hic majorem, ibi minorem, quæ impuras fecit, tanquam morboſæ

boſæ ſacris abigebantur. Vnde curatæ interea puerperæ, & poſtremo die per ſacerdotes à peccatis, non perjurii ſed originis, purgatæ, procuratæque etiam Romanorum feminæ. Verum ad pueros, quibus luſtrico die circumciſio apud alias Nationes pro luſtratione. Divinum id inſtitutum, ut corporis ſignaculum (*k*), Iu-

(*k*) Ita enim vocatur *Tertulliano* Apolog. cap. 21. Et Circumciſionis Sacramentum Epiſt. ad *Roman.* IV. verſ. 11. dicitur σφραγὶς τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, *ſignaculum juſtitiæ fidei.*

(*l*) Pro-

Iudæis proprium, qui recutiti (*l*), inter quos Apella, aliquando ab Adriano aliisque sublatum. Circumcisio simplici vice administrata, nonnunquam iteratò. Transiit enim & ad alios, Samaritanos in nomine columbæ circumcisos, Æthiopes, Ægyptios, Colchos, Phœnices Tro-

(*l*) Proprium hoc Iudæis fuisse signaculum demonstrat *Petronius* qui hanc illis notam tribuit in Satyrico: *Quid tu*, inquit, *Giton, & circumcide nos ut Iudæi videamur, & pertunde aures ut imitetemur Arabes.* Ideoque *recutiti* dicuntur *Martiali* Lib. VII. Epigr. 29:

Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum.

(*m*) Ho-

Troglodytas, Macrones, Edomitas, Ammonitas (*m*).

(*m*) Horum omnium meminêre præter alios multos, *Herodotus* Lib. II. *Diodorus Siculus* Lib. II. & Lib. IV. *Strabo* Lib. XVI. & XVII.

Arabes quoque per experimentum acquiſiverunt. Chriſtiani inſuper veteres, & Epiſcopi, ut adhuc κόφθοι (*n*) dicantur Ægyptiis. Apud Græcos & Romanos eſt quoque ſuſpicio non fuiſſe incogni-

(*n*) Κόφτος eſt à Mahumetanis confectum vocabulum, quod inviſos denotat, de quo *Kircherus* Prodr. Copt. cap. I.

(*o*) Cur

cognitam. Dies octavus erat (*o*), quia tum purgatæ erant, & unum transierant sabbathum. Mahometanis octavus annus, Syris tertius decimus, aliisque alius. Pars scindenda principium est genitalium seu ἀκροβυσία, ערלה Hebræis, superfluum, luxurianſque, (Magis totum corpus) signum quod renasci non possit. Aliæ tamen gentes iterum adducebant præputium

(*o*) Cur Circumcisioni octavus sacratus sit dies, erudite disputat *Cunæus* de Republica Hebræorum Lib. III. cap. 5.

putium (p), & ſacræ quædam novum fecerunt. Vtriuſ-

(p) De præputio adducendo vide plurima apud *Parentem* noſtrum Venerandum Comment. de Morb. Biblicis, cap. XXVI.

que diverſus modus diſquiritur fuſius. Maſculus Iudæis, Ægyptiis etiam feminæ Clitoris (q). Illis lex, his honor. Illi

(q) Vnde Nymphas Ægyptias exſcindere, dicit *Galenus* in Introductorio. Et hodieque hoc in Ægypto ſervatur ut Clitoridem incidant fœminæ, teſte *Alpino*. Quia eis plerumque nimis excreſcit, non aliter ac illius fœminæ de qua *Tulpius* in Obſerv. Lib. III. cap. 35. longitudine digiti & craſſitie colis puerilis.

(r) Sa-

Digitized by Google

Illi totam amputant pellem, & reliquum unguibus abradunt. Hi Arabesque incidunt tantum, ut iterum consolidetur. Instrumenta non unius generis. Testa subinde (*r*) & silex, ut in sacris Cybeles. Novacula plerisque, cujus incommoda prævidentes alii forpicem elegerunt, alii bipennem. Catino hæc inferebant, & ad morbos servabant præ-

(*r*) Samia testa virilitatem amputabant Matris Deûm Sacerdotes, si credimus *Plinio* Lib. xxxv. cap. 12. Et id voluisse arbitror *Martialem*:

Abscissa est quare Samia tibi mentula testa?

præputium. Miniſtri quivis. At totum actum convivio clauſerunt Arabes, Iudæi voto. Peracta circumciſione nomina fiebant illis, aliiſque poſt luſtrationem. Omnibus ſanè gentibus, præter Atlantes (*ſ*), nomina ſua erant, ſeu vocabula, aliis ſigna. Apud Ebræos octavo induntur maſculis, fœminis initio menſis.

(*ſ*) Hunc apud Atlantes morem deſcribit *Pomponius Mela* Lib. 1. cap. IX: *Ex his*, inquit, *qui ultra deſerta eſſe memorantur, Atlantes ſolem execrantur, & dum oritur & dum occidit, ut ipſis agriſque peſtiferum. Nomina ſinguli non habent: non veſcuntur animalibus.*

(*t*) Im-

sis. Nominalia (*t*) Romanis masculis octavo erant die, femellis nono. Græci variabant,

(*t*) Impositionis nominum, magna cum cæremonia à Romanis usurpatæ illustrem suppeditat locum *Tertullianus*, *Nominalium solemnitatem* appellans, Lib. de Idolol. cap. 16.

tit in Lustratione, aliàs quidem quintus, aliàs verò decimus (*u*). Sunt qui septimi memi-

(*u*) Septimi diei & decimi à puerperio, qui apud Græcos promiscuè celebrati, mentionem facit *Suidas*: τοῖς ἀποπχθεῖσι παιδίοις τὰς ἑβδομάδας καὶ τὰς δεκάτας ἦγον. καὶ τὰ μὲ ὀνόματα ἐτίθεντο αὐτοῖς. οἱ μὲν τῇ ἑβδόμῃ, οἱ δὲ τῇ δεκάτῃ. id est, *Septimos & decimos natorum dies celebrabant, & nomina iis imponebant,*

alii quidem ſeptimo, alii vero decimo die. De decimo etiam conſentit *Ariſtophanes* in Avibus:

Οὐκ ἄρα θύω τὴν δεκάτην ταύτης ἐγώ;
Καὶ τ' ὄνομ' ὥσπερ παιδίῳ νῦν δὴ θήμελω.

id eſt,

Non ergo decimam ſacrificabo ob hanc ego?
Et nomen illi jam velut puero dedi.

Septimi diei, quem ob mutationis eo die certitudinem, eligebant, meminit *Ariſtoteles* Hiſt. Anim. Lib. VII. cap. ultimo: Τὰ πλεῖστα ἢ [παιδία] ἀναιρεῖ ἢ πρὸ τῆς ἑβδόμης· διὸ καὶ τὰ ὀνόματα τότε τίθενται, ὡς πιστεύοντες ἤδη μᾶλλον τῇ σωτηρίᾳ. id eſt, *Plerique puerorum moriuntur ante diem ſeptimum: ideoque & nomina tunc imponunt, tanquam jam de ſalute magis fidentes.*

meminerint tum ob mutationis eo die certitudinem, tum ob ſacrum numerum. Vnde Græcis

Græcis omnis ſeptimus à nativitate feſtus. Chriſtianis nulla nec olim, nec nunc certus nominis dies. Ritus hi fuerunt. Convocare amicos, eligere qui præeſſet nominis impoſitioni, ut nunc apud Chriſtianos fit, nomen dare infanti, crines tondere, Diis ſacrificare & agitare convivium. Ex luminum accenſorum fato nomen auſpicatum eligere quidam (*x*). Iudæi ſan-

(*x*) *P. Lobbetius* Lib. III. de Pecc. Propoſ. 1. tradit veteres nomina infantibus impoſituros, quaſi vitam longiorem proli quærere: cereis enim accenſis appendebant varia nomina, ea lege,

ut nomen ejus cerei qui diutius flammam ſuſtinuiſſet, vitæ producendæ ſpe votoque infanti cederet. Antiquum hunc ritum deſignat *Chryſoſtomus* in Cap. II. Epiſt. 1. ad Corinth. *Nomen*, inquit, *Sancti alicujus impoſituri, cereos complures accendebant, ſuum cuique nomen aſſignantes, atque ejus demum qui cereis exſtinctis ſupervixerat, nomen quaſi longioris ævi accipientes, puero imponebant.* Et addit: *Inde divinabant longam infantis futuram vitam.* De aliis in Nominalibus adhibitis ritibus multa obſervavit *Caſaubonus* ad *Perſii* Satyram II.

ſanguine cuncta ſignant Numerus varius. Hebræis plerumque unum, rarò duo. Græci ſimplici nomini addidere patriam, quod fere & Ægyptii. Romanis tria nomina

mina (*y*) ipſis Nominalibus fiebant. Prænomina & Cognomina

(*y*) De Nominum horum omnium ratione variâ meretur audiri *Iſidorus*, qui in horum explicatione nobis erit inſtar omnium. Ita enim ille Origin. Lib. I. cap. 6: *Nomen dictum eſt quaſi notamen, quod nobis vocabulo ſuo notas afficiat. Niſi enim nomen ſcieris cognitio rerum perit. Propria nomina dicta ſunt quia ſpecialia ſunt. Vnius enim tantum perſonam ſignificant. Species propriorum nominum quatuor ſunt: prænomen, nomen, cognomen, agnomen. Prænomen dictum eo quod nomini præponatur, ut Lucius, Quintus. Nomen vocatum quia notat genus, ut Cornelius. Cornelii enim omnes eo genere vocantur. Cognomen quia nomini conjungitur, ut Scipio. Agnomen vero quaſi accedens nomen, ut Metellus Creticus, quia Cretam ſubegit. Extrinſecus enim venit agnomen ab aliqua ratione.*

Cognomentum autem vulgo, eo quod nomini cognitionis causa superadditur, sive quod cum nomine est.

mina erant propria, Nomina familiæ. Prænomina honestæ nomenclaturæ eligantur, quia de eo primum sceleris quæstio habebatur, qui turpius nomen possideret. Patres Romani suum majori natu imponunt, avi nomen reliquis. Xanthii à matribus mutuantur. Feminæ & servi solis ferè gaudent nominibus, quæ variè ad distinctionem inflectebantur, nonnunquam prænominibus (z). Quartum deinde

(z) Prænomina fœminarum agnoscit *Festus*: *Prænominibus*, inquit, *fœminas esse appellatas testimonio sunt Cœcilia & Tarratia, quæ ambæ Cajæ solitæ sunt appellari. pari modo Lucia & Titia.* Sed de his pluribus disputat *Petrus Servius.*

deinde nomen adulto puero superadditum, Agnomen, à fortuna vel virtute. Profitebantur deinde Patres puerorum nomina publica contestatione (*a*), simulque in ærarium Ilithyiæ nummum infe-

(*a*) Huc alludentem habeo *Apuleium*: *Pater*, inquit, *natum sibi filium cæterorum more professus est.* Et hanc natalem professionem παιδογραφίαν vocat *Modestinus.*

 (*b*) Hoc

inferebant. Mox intra tertium ab impoſito nomine diem, in Actis publicis relati à Præfecto ærarii (*b*), non nomina

(*b*) Hoc ſenſu *Iul. Capitolinus* in Gordiano: *Cum apud præfectum ærarii, more Romano, profeſſus filium, publicis actis ejus nomen inſereret.*

tantum tam legitimorum quam ſpuriorum, ſed ad confuſionem vitandam, etiam cognomina, nec non dies nativitatis & Conſul (*c*), quod

(*c*) Quod apud ærarium Patres filiorum natorum nomina detulerint notato die & Conſule, vide *Briſſonium* Antiq. Lib. I. cap. 5.

(*d*) Con-

Digitized by Google

quod & Indis olim & Europæis hodie quoque haud infrequens. Acta illa, Fasti aliàs dicta, Tabularia & Chartæ, in Saturni templo asservabantur (*d*).

(*d*) Consentit *Servius* II. Georgic. *In Templo Saturni reponebantur Acta, quæ susceptis liberis faciebant Parentes.*

Pueris sive ante lustrationem sive post, dormientibus Caprimulgus insidiatur (*e*), &

(*e*) Coptis βερσέλια, hoc est, *Mater puerorum*, Caprimulgus appellatur, qui insidiatur pueris dormientibus teste *Kirchero* Part. III. Lex Copt. Hebræis לילית *Lilith*, à ליל, quod nox est, quia nocte volat. Quod apud *Esaiam* cap.

xxxiv. verſ. 14. *Pagninus*, *ſtrigem* reddit. Strix autem *Iſidoro* nocturna avis eſt & lac præbere dicitur naſcentibus. In Creta è caprarum uberibus lac exſugit, & ideo Caprimulgus dicitur, apud *Bellonium* Obſerv. Lib. I. cap. 10. De infantibus ejuſmodi vexatis memorabile exemplum refert *Parens* Venerandus Hiſtor. IX. Centur. I. Et ſimile apud *Ovidium* legimus Lib. VI. Faſtor. de Strigibus:

Ad thalamos venere Procæ. Procanatus in illis
Præda recens avium quinque diebus erat.
Pectoraque exorbent avidis infantia linguis.
At puer infelix vagit opemque petit.

& Lilith לילית, item ſagæ ſeu ſtryges variis faſcinis, quæ vel allio vel alyſſo vel Re turpi

in

in collo ex annulo appensa abiguntur. Res illa turpis non Satyri fuit species, sed Priapi (*f*), qualem in ære habemus,

(*f*) Fascinus erat res turpicula è collo pueris appensa, teste *Varrone* Lib. VI. Romæ enim putarunt res teneras aspectu noxio virosorum hominum aut mulierum fascinari, eoque ut aspectum effascinantium ab oculis puerorum abducerent, suspendebant illis è collo Mutinum Deum. Sic enim Cario ad mœchum, cui se virilia exsecturum minitatur, apud *Plautum* Milit. Act. V. Sc. 1:

Quasi puero in collo pendeant crepundia.

mus (*g*), in nuptiis & poculis

(*g*) Fascinum illum ex ære è Musæo *Paren-*

Parentis hic exhibemus. Et alias insuper hujus amuleti ſpecies ex Lapide Lazuli, corallio & chryſtallo, quæ apud *Pignorium* in Menſa Iſiaca:

culis eodem metu frequentatam & Deabus familiarem. Ob turpitudinem enim faſcinantium oculos avertit, ne aſpiciant infantes, unde & in Aſini magnitudinem aliquibus crevit. Acceſſerunt & Orchides (*h*), forſan in coronis Natalitiis, & medius digitus infamis, quo ſalivâ frontem & labella ſignabant. Cui faſcino infantili ſucceſſere grandioribus bullæ ad invidiam, ditioribus aureæ, aliis coria-





Digitized by Google

(*h*) *Plinius* enim radicem orchidis fascinis utilem prædicat, Natur. Histor. Lib. XXVI. cap. 10: *Altera Satyrion Orchis cognominatur, & fœmina esse creditur: distinguitur internodiis & ramosiore frutice; radice fascinis utili.*

coriaceæ, figurâ cordis vel lunæ pectori appensæ. Adversabatur eidem fascino Cunina Dea, & præfiscini: Christianis veteribus crucis signum.

Sed quanquam à fascino se tuerentur strenuè, morbis tamen tentabantur. His non defuit Medicina, licet de vehementioribus pernegent alii. Infantum curam tracta-

vere

vere Matres præſertim. Exhibuerunt quoque & Obſtetrices pharmaca. Æthiopes frontem infantum ipſo natalis die, Etruſci occiput, & venas verticis temporumque Libyæ populi urebant (*i*). Potiones per clyſteria ori infuſæ. Ad ſanitatem conſervandam exercitia cunis conferebant, adultioribus vehicula & navigia. Nec deerant vota pro infantum ægrotantium

(*i*) De hac uſtione nos plura in Exercitationibus Miſcellaneis. Exſtat autem antiquiſſimus hic mos apud *Herodotum* Lib. IV.

(*k*) Hu-

Digitized by Google

tium ſalute, quæ Iunoni Lucinæ (*k*), Caſtori & Polluci ſolve-

(*k*) Hujus enim Deæ ſoſpitatricis tutelæ eximio plane monumento commendatur Cecropii filius vel adhuc morbidus, vel poſt ſalutem recuperatam, quod monſtrat manus ænea. Ejus votum ita referens:

CECROPIVS. V. C. VOTVM. S.

Effoſſa eſt illa inter Divi Gregorii rudera, cujus iconem ab Illuſtriſſimo Equite Caſſiano à Puteo *Tomaſino* communicatum hic damus:

Crediderim Iunoni pro ſalute filii hoc votum ſolutum cum ejus moris plurima exſtent indicia. Ita apud *Gruterum* Inſcript. pag. XXIV.

BASSA. VITELLI
RO. Q. VITELLIO. Q. F.
FILIO. SVO
NONI. LVCINÆ. V. S. L. M.

(*l*) De

Digitized by Google

ſolvebant (*l*), ſanitate reſtitutis. Indignabantur enim

(*l*) De hoc elegantem affert *Gruterus* Inſcriptionem, pag. XCVIII. ex ſaxo quod Murciæ exſtabat in Hiſpania:

CASTORI. ET. POLLVCI.
DIIS. MAGNIS
SVLPITIA. Q. SVLPITII.
F. VOTVM
OB. FILIVM. SALVTI.
RESTITVTVM.

animæ puerorum hinc emigrare. Sed mortuis inferias non libarunt. Nec eos ante dentes natos uſſere (*m*). Quo-

(*m*) Hoc apud *Plinium* reperio Natur. Hiſtor. Lib. VII. cap. 16: *Hominem*, inquit, *prius quam genito dente cremare mos hominum non eſt.*

(*n*) Lo-

Digitized by Google

Quorum ideò nulla buſta, ſed ſuggrundaria (*n*), quo-

(*n*) Locus ubi infantes hujuſmodi ſepeliebantur dictus Suggrundarium, de quo *Fulgentius Placiades* de Priſco ſermone: *Suggrundaria antiqui dicebant ſepulchra infantium, qui necdum* XL. *dies impleſſent, quæ nec jam buſta dici poterant, quia oſſa quæ comburerentur non erant, nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumeſceret. Vnde Rutilius Geminus Aſtyanacte ait: Melius ſuggrundarium quæreres quam ſepulchrum.*

rum formam expreſſimus (*o*), corporibus eorum in urnulis, quia

(*o*) Formam Suggrundarii hujus ex *Io. Bapt. Suarez* Antiquit. Gaditanis Hiſpanica Lingua ſcriptis, Lib. IV. cap. 4. hic publico communicamus:

(*p*) Sic

Digitized by Google



Digitized by Google

quia is vetuſtior mos, impoſitis. Chaldienſes extra urbem in via ad Euripum humantur. Grandiores natu ſarcophago (*p*) integris corpo-

(*p*) Sic apud *Gruterum* Inſcript. pag. DCLXXXIX. L. Iuli Marcelli, qui vixiſſe dicitur Ann. v. Diebus XXXI. CORPVS. INTEGRVM. CONDITVM. SARCOPHAGO. legimus.

ribus conditi in loco communi, vel ante aras. Lugebantur veſtibus Cyanæis, mollitiei ſigno, & fuſcis à tota familia, præſertim matribus & ſororibus. Ante auroram, quaſi à die rapti, facibus

cibus funeralibus & ad tibias elati (*q*). Quia nec lugere

(*q*) Hoc voluit *Statius* Lib. VI. Thebaid.

Cum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum producere manes
Lege Phrygum mœsta. Pelopen monstrasse ferebant
Exequiale sacrum, carmenque minoribus umbris
Vtile ----

In quem ita *Placiades Lactantius*: *Iubet religio ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur.* Et ita etiam sentit *Servius* in Lib. V. Æneid. *Sciendum*, inquit, *majoris ætatis funera ad Tubam solere proferre, minoris vero ad tibias.* Sed ad puerorum solùm exequias restringi non posse tibias, utpote promiscuè usurpatas, alibi datô studiô operosius

ſius tracto, quare hic plura hujus commatis ſciens prætereo, cum hanc materiam Tractatui meo de *Tibiis Veterum* dedicarim.

gere trimo minores licuit. Acerba tamen eorum dicuntur funera (*r*), & infelices Parentes, piiſſimi verò filii, quibus contra votum eriguntur monumenta (*ſ*). Me-

(*r*) Pueri ad faces & cereos efferebantur & Acerba eorum funera dicebantur, quod ex *Seneca* intelligo, qui Epiſt. CXXII: *Iſti mihi defunctorum loco ſunt: quantulum enim à funere & quidem acerbo abſunt, qui ad faces & cereos vivunt?*

(*ſ*) De his & aliis infinita dicenda habeo, ſed Operi Majori reſervo. Monumenta, quæ contra votum Infantibus eri-

erigebantur passim observo. Inter alias Inscriptiones elegans est illa apud *Gruterum* pag. DCCXVI.

VLPIA. PAVLINA
MATER. INFELICISSI-
MA. CONTRA. VO-
TVM. PIETATIS
POSVIT.

Memoria tamen Nati Natalisque diei quotannis rediit festo Genethliaco solenni (*t*), Principum progenie pro-

(*t*) Natalitia deinde annua celebrabant. *Plautus* in Persa:

—— hoc age accumbe
Nunc diem suavem meum natalem inter nos agitemus amœnum.

Cicero Lib. II. Philippicarum: *Hodie non descendit Antonius. Cur? dat natalitia in Hortis.*

proprio, mox aliis, imò & Philoſophis, non viventibus ſolum, ſed fato functis. Vnde natum inter γενέσια, & γενέθλια diſcrimen (*u*), & inter ſacra publica & privata. Cunctis religio inerat maxima. Conſtitutæque, ne in demortuis omitteretur, uſuræ ad ſolvenda convivia (*x*). Mu-

(*u*) Inter utrumque hoc ſtatuit diſcrimen *Suidas*: Γενέθλια, ἡ δ' ἐνιαυτῆ ἐπιφοιτῶσα & πχτρίδος ἑορτή. *Celebritas quæ quotannis agitur eo ipſo die quo quis natus eſt.* Et alibi: Γενέσια. ἡ δ' ἐνιαυτῆ ἐπιφοιτῶσα & πχτρίῳ μνήμη. *Quæ quotannis in alicujus memoriam & honorem celebrantur.*

(*x*) In hujus rei teſtimonium illuſtrem

Digitized by Google

P. A F
AD. CVIVS. HVIC
COLLEG. DE SVM
MÆ. REDIT ALI
EIVSDEM. IRTVL
EX. X. CCC. IN IVID
OLEVM. ET. PR(ITEM
LECTISTERNIVM EX. XCC
MEMORIIS. EIVS LERIAN
FIL. EIVS PER. OFS. PONA
TVR. ET. PARENT TERNÆ
ET. TEMPORE. NANTVR
MICATÆ. DE. SANTVR
ITEM. APPIVS. IVSDEM
VALERIANÆ. SRGITVS
EST HS. XXXX. N QVOD
ANNIS. DIE. SS. NA ECTIST
EX X. CCL. PONA ÆSENT
SIBI. DIVID. OLEV ÆBEANT.

Digitized by Google

ſtrem plane afferam Inſcriptionem ex *Grutero* pag. DCCLIII.

Marmorea Tabella Bergonii in æde Benedicti:

Mutuati hinc ſunt Chriſtiani *Natales* Sanctorum & *Servatoris* noſtri. In quibus varia fuit Eccleſia antiqua non unam ob cauſam Munera ab amicis miſſa Natalitia (*y*), pro

(*y*) Munera illa natalitia varia variis miſſa. *Virgilius* Eclog. III.

Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis Iola.

Plinius Lib. IV. Epiſt. 9: *Multis enim aut etiam Principi dixerat, ſola ſe munuſcula, duntaxat natali ſuo aut Saturnalibus accepiſſe ac pleriſque miſiſſe.* Quare *Martialis.* Lib. VIII. cap. 64:

Vt poſcas Clyte munus, exigaſque,
Vno naſceris octies in anno.

pro cujuſque arbitrio. Imperatoribus nonnullis ſtatutum pretium placuit. Viri uxoribus, quod donatio cenſetur, Parentibus cognatiſque Tutores ex pupilli bonis, donarunt, clientes patronis, amicis amici. Idem Natalibus Anni in ſtrenis obtinuit. Munera ea varia. Annulus, quem tum geſtabant (z), in-

(z) *Perſius* Sat. I. v. 16.
Et natalitia tandem cum Sardoniche albus.
Vbi vetus *Scholiaſtes*: *Ambiguitas in natalitia, utrum eam natali munere acceperit,*

rit, aut tantum eo die gerere ſoleat: quia quidam habent annulos quos die tantum natali gerunt. Ita etiam annuli fuêre, qui tantum primo cujuſque anni die geſtati. De iis interpretor *Lucretium* Lib. I:

Qui etiam multis ſolis redeuntibus annis
Annulus in digito ſubtertenuatur habendo.

inauris, armilla, umbella, veſtes cubitoriæ cœnatoriæque, equi, coronæ, aves, libri (*a*), poëmata, aliaque, Ex-

(*a*) Sic *Cenſorinus* Q. Cærellio ſuum de die Natali Librum natalitii titulo mittit. Sic *Dionyſius Halicarnaſſ.* ſuum περὶ συνθέσεως ὀνομάτων filio induenti virilem togam ipſo natali die tradidit. Eodem titulo *Lucianus* ſuum περὶ μακροβίων Libellum Quintillo conſecravit.

Exhibiti Ludi Theatrales, Circenſes (*b*), & venationes. Cruciarii ſepulti. Floralibus (*c*) quoque, & conviviis

(*b*) De ludis illis Natalitiis *Ælius Spartianus* in Adriano: *Gladiatorium munus per ſex dies continuos exhibuit, & mille feras natali ſuo edidit. Optimos quoſque in Senatu in contubernium Imperatoriæ majeſtatis adſcivit. Ludos Circenſes, præter Natalitios decretos ſibi ſprevit.* Ita etiam Auguſti natalem & Circenſibus & venatione celebratum quotannis fuiſſe, teſtis eſt *Dio* Lib. LIV.

(*c*) Florales Ludos in natalibus adhibitos eſſe credimus *Lactantio* Lib. I. cap. 20: *Flora*, inquit, *cum magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, populum Romanum ſcripſit hæredem, certam pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ſuus natalis celebraretur, editione ludorum quos appellant Floralia.*

(*d*) *So-*

Digitized by Google

viviis honoratus Natalis, ſplendidis frugalibuſque pro conditione hominum. Lecti ſtrati, & albatis veſtibus genio indultum. Quod in Chriſtianis veteribus reprehendunt quoque Canones. Vino aſperſi, præter pueros, & coronati convivæ. A ſanguine tamen & cæde animalium abſtinuere Romani, (*d*) omi-

(*d*) *Solinus* cap. II. *Et obſervatum eſt*, inquit, *deinceps, ne qua hoſtia Parilibus cæderetur, ut dies iſte purus à ſanguine eſſet.* Et prima dies Quinquatrum, quia eâ nata Minerva erat, ſanguine vacabat. Cujus indicium apud *Ovidium* Lib. III. Faſt.

ominis ergo felicioris, primis temporibus, ſed ſequentibus natali die hoſtias percuſſerunt (*e*), genio immolaturi, cui floribus ſupplicatum, vino, libo, thure, lacte, mulſo. Inter hæc ſacrificia Diis commendabatur ille cujus Natalis erat

(*e*) Sed ut priſci illi natali die à cæde & ſanguine abſtinuerunt, ita poſterioribus temporibus id minus obſervatum eſt. Nam *Horatius* Lib. IV. Od. II. Phylliden ad natalem Mæcenatis celebrandum invitans, ait:

Ridet argento domus: ara caſtis
Vincta verbenis, avet immolato
Spargier agno.

(*f*) Ex

erat (*f*). Christiani voto pio natalium solennitatem transigerunt.

(*f*) Ex his intelligendus *Spartianus* in Adriano: *Natali suo ultimo cum Antoninum commendaret.* Id est, cum rem divinam faciens vota pro Antonino nuncuparet. Aliàs *natalem infantis commendare*, in Geta dicit *Spartianus.*

IN-

Digitized by Google

INDEX

Rerum & Verborum in Synopsi & Commentario occurrentium.

Abortus promovere vetitum. Pag. 79
Acerba funera. 170
Acta publica. 156
Ærarium Ilithyiæ. 155
Alcmena Dea. 19
Amiculum Iunonis. 4
Ἀμφιδρόμια. 137
Ἀνάθημα. donarium Baptismi. 130
Anuli inter crepundia. 83
Apothecæ. 89
Aræ ob Puerperia positæ. 133
Balneæ Puerperarum. 127
Baptismus. 36
Bua potus puerorum. 121
Brassicæ usus apud Gravidas. 11
in Cantharis expositi. 87
Cantus natalitii. 58
Caprimulgus. 157. 158
Catomidiari. 3
Census expositorum. 92
Cibus infantum. 122
Circumcisio. 142. *Ejus apud varios usus.* 143. 144. *Tempus Circumcisionis.* 147. *Pars scindenda.* 145. *Mares & fœminæ circumcisæ.* 146. *Instrumenta Circumcisionis.* 147
Clavis à maritis tradita. 21
Collactanei vel Collactei. 117. 118
Columna Lact. 89. 90.
Coronæ natal. 124. 126
Crepundia. 82. 99
Cuba. 124
Cunæ. 102. 104
Cunarii servi. 102
Cunina Dea. 106. 162
Cynosargi spurii expositi. 78. 88
Deverra. 54
Diana Lucina. 29

Λυσίζωνος. 13
Corythallia. 134
Educare & tollere, diversa. 73
Eduſa. 23
Expoſita monſtra. 81 94. interdum benè nati. 81
Expoſitio infantum. pio modo adminiſtrata. 82. Locus. 88. Inſtrumentum. 85
Eugeria Dea. 18
Fabulinus Deus. 121
Faſciæ. 98
Faſcinum. 160
Fluonia Dea. 18
Fœcunditati cuſi nummi. 133
Fortuna Genitalis Dea.
Fortuna natalis Primigenia. 30. 46
γενέσια & γενέθλια. 172
Genethliaci. 52
Genethliacum feſtum. 171
Genethyllis Dea. 14. 19
γενέθλιοι Θεοὶ 51
Genita Mana. 14
Genitales Dii. 51
Genius. 40. 42. 43. 44. 178
Geruli. 117
Haſtæ Lucinæ conſecratæ. 28
Hecate. 14
Hodie nate ſalve. Formula gratulationis in Puerperio. 61
Horoſcopi. 52
Ilithyïa. 25. 26
Incunabula. 99. 100. 111
Indigetes Dii. 51
Infans ab infando. 32
Intercidona. 54
Involucra infantum. 97. 98
Ius Trium liberor. 5. 6
Lallus Deus. 116
Lares. 47
Lavabatur infans, ſale. 63. Aqua. 63. Oleo. 65. Vino. 66. Rore & nive. 66
Lavabatur in clypeo, alveo &c. 67
Lavabantur Puerperæ. 127
Lecticis gravidæ vectæ. 12
Lectus Genialis. 54
Lectus adverſus puerpera-

perarum. 55
Levana Dea. 73
Lilith. 158
Lucina parturientium Dea. 25
Ludi Natalitii. 176
Lupercis steriles offerebantur. 3
Lustratio. 138. 149
Lustricus dies. 130
Lyde in pyxide gestata. 4
Mamma. 120
Masculus boni ominis. 75
Medicina infantum. 162. 163
Mena Dea. 18
Mensa Iunoni proposita. 131
Monstra quomodo expiata. 94. 95
Mortuos infantes quomodo prosequebantur. 165. 168
Munera Natalitia. 128. 129. 174. 175
Mutini fascinum. 12
Nasci & suscipi, diversa. 77
Natales flebant Thraces. 58. 60
Natalis dies. 32. Adoptionis. 33. Urbium. 33. Navigationum. 34. Regum. 34. Consulum. 34. Martyrum. 35. Deorum. 36. Calicis apud Christianos. 36
Nativitatis terminus. 37. 38
Neptunus Genethlius Deus. 53
Nixii Dii. 24
Nomen quo die impositum. 150. in eo ritus varii. 151
Nomen quotuplex variis. 157. 153
Nominalia. 149
Nox Genitalis Dea. 30
Nundina Dea. 136
Nutrix. 112. 113. 116
Obstetrix. 109. 110. 111. 112
Opigena. 27
Ορτηλια. 130
Ornatus puerp. 21. 22
Palmam tangebant parturientes. 24

Papa

Papa cibus pueror. 121
Papa pro Patre. 119
Pappi seu Pædagogi. 120
Parcæ tres puerperarum. 53
Partula Dea. 53
Pileus naturalis infantum. 111. *de eo superstitio.* 111
Pilumnus. 54. 56
Planetæ an aliquid ad nativitatem conferant. 49. 50
Planetarii. 52
Postverta Dea. 16
Potinna. 123
Prænomina an fœminæ & servi habuerint. 155
Primogenitura gemellarum. 39
Professio puerorum. 155
Prosa Dea. 16
Puerpera. 31
Purgatæ Puerperæ à peccatis per sacerdotem. 142
Res turpicula. 159
Rumina Dea. 115
Sarcophagus. 168
Sentinus Deus. 19
Statina Dea. 72
Sublatio infantis. 72
quo ritu facta. 74
apud quos in usu. 76
Suggrundarium. 166
Sylvanus Puerperæ inimicus. 53
Tata. 120
Τεσσαρακοστὴς. 139
in Terram infans statutus. 71
Terræ Matres. id est: Obstetrices. 74
Tibiarum usus in Funeribus. 60. 169
Tollere pro generare. 73
Tutelares Dii. 51
Velabrensis lacus. 89
Venus Genetrix. 8
ex Via Appia liberi petiti. 94
Virgæ Natalitiæ. 134. 135
Vitumnus Deus. 19
Vota Iunoni Lucinæ. 27
pro infantibus. 164 165

Vte-

Digitized by Google

Vterina Dea. 19
Zona Gravidarum in templo Dianæ solu- *ta.* 12. *& à Primipara Dianæ suspensa.* 13

Errata graviora ita corrige.

Pag. 87. lin. 14. lege: Quemne. Pag. 97. l. 7. & 15. ablotus. Pag. 105. l. 5. nutricali. Pag. 121. l. 1. Lalisiones. Pag. 136. l. 12. & *Plutarcho.* Pag. 154. l. 6. eligebantur.

FINIS.

Digitized by Google